WBP
Opole
2459 A

CONSTITUTIONES
RELIGIONIS
S. PAULI PRIMI EREMITÆ
a Sant^mo D.N. Papa
URBANO VIII,
approbatæ, & confirmatæ
EDITIONIS TERTIÆ.
Romæ Typis S. Congreg.
de Propaganda Fide
Super. licentia.
Anno Iubilæi
1725.

REVERENDISSIMO PATRI

NICOLAO STASEWSKI

Religionis S. Pauli Primi Eremitæ
Priori Generali Dignissimo.

JO: DOMINICUS VERUSIUS F. P.

Deò misera mortalium est conditio, ut Divino attestante eloquio, sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab ado-

 lescen-

leſcentia ſua: hinc neceſſe eſt leges hominibus ponere, ut ſecundùm legem vivant: nam ſi abſque his viverent, ut inquit Plato, nihilo à feris atrociſſimis diſcreparent. Quod quidem potiori jure in illuſtriori Republica exigitur, quo enim ſplendidior, & pulchrior, eò majori ratione leges ad ſui conſervationem, & decorem expoſtulat. Quapropter rationi ſemper conſentaneum, imò neceſſarium apud rerum publicarum Rectores fuit, ut commiſſam ſibi univerſitatem variis inſtitutis, legibus ac præceptis fulcirent, ac veluti munitioni vallarent.

Quo ſpiritu ducti veſtri antiqui Patres, hoc in primis labore, Religioni veſtræ conſulendum eſſe putarunt, ut quas Leges, ſeu Conſtitutiones ipſi proficuas ac neceſſarias crederent eas unico volumine per partes, capitaque diſtinctas toti Ordini obſervandas proponerent. Verùm cùm à Paternitate Tua Reverendiſſima animadverſum fuerit in prædictis Conſtitutionibus nonnulla repe-

K|29|78|stair

reperiri ſubobſcura omittique alia, quæ pro præſenti ſtatu congruentiora videbantur, meritò ad Sanctam Sedem recurrendum eſſe duxit, ut Conſtitutiones prædictæ, novâ limâ, novaque normâ reſtitutæ Apoſtolicæ Sedis robore firmarentur, Typiſque ut faciliùs ad omnium Religioſorum manus devenire poſſent, mandarentur. Quod cum ſumma cura, & diligentia ad optatum exitum, de benignitate Apoſtolicæ Sedis, deductum ſit, Conſtitutiones has emendatas, correctas, & approbatas, typiſque elegantioribus excuſas, Reverendiſſimæ Paternitati Tuæ ea quâ decet reverentia dedico, & offero, Deumque Optimum Maximum rogo, ut ad obſervantiam earundem cor tuum, ac omnium Religioſorum tuorum dirigere dignetur, ut anguſtam Cælorum portam, arctamque Domini viam, ipſo duce ingredientes, in Sancta Dei Eccleſia fructus uberes proferatis, & non ſolùm militantis, ſed & triumphantis Eccleſiæ inter cives electos numerari valeatis, ad bono-

honorem Dei, & Deiparæ Virginis Mariæ, Sancti Pauli primi Eremitæ, cui ex instituto vestræ sacræ professionis famulantes in præsenti sæculo militatis.

URBANUS
PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXPONI Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Modernus Prior Generalis, & Fratres Religionis Sancti Pauli primi Eremitæ, quod aliàs pro dictæ Religionis reformatione nonnullæ Constitutiones editæ fuerunt, quæ posteà à triginta tribus Congregationibus particularibus deputatis à Nobis emendatæ, & correctæ fuerunt. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti, quo Constitutiones prædictæ firmiores subsistant, & exactiùs ab omnibus observentur, illas Apostolicæ nostræ Confirmationis robore communiri summopere desiderent.

Nos igitur illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet in-

innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes. De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis de Propaganda Fide Præpoſitorum Conſilio. Conſtitutiones prædictas, dummodò tamen licitæ ſint, & honeſtæ, Sacriſque Canonibus, ac Concilii Tridentini Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictæque Religionis Regularibus inſtitutis non adverſentur, Apoſtolica authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes illas, nec non præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus

nibus Apoſtolicis, ac dictæ Religionis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo dicti Prioris Generalis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die VII. Auguſti M. DC. XLIII. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini, Domini Cardinales, Prælati, & Viri Religioſi, à S. D. N. URBANO VIII. in Sacra Congregatione de Propaganda Fide Deputati pro reviſione, & emendatione harum Conſtitutionum.

Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Laudivius Zachias Card. S. Sixti.

Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Joannes

Baptiſta Pallotta Card. S. Silveſtri in Campo Martio.

R. D. Antonius Marullus, nunc Archiepiſcopus Sypontinus.

R. D. Horatius Juſtinianus, nunc Epiſcopus Montis Alti.

R. D. Abbas Papirius Silveſtrius, nunc Epiſcopus Maceratenſis.

R. D. Franciſcus Ingolus Secretarius Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

R. P. Hilarion Abbas Ord. Ciſtercienſis.

R. P. Auguſtinus Maloſius Abbas S. Gregorii de Urbe.

R. P. Paulus Simon à Jeſu Maria Carm. Diſcalceatorum Generalis.

R. P. Lucas Wadingius Ord. Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ.

R. P. Antonius Naldus Theatinus.

R. P. Franciſcus Nerii Procurator Generalis Capucinorum.

DE-

DECRETUM

Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 12. Martii 1725.

REFERENTE Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Alexandro Albano preces Patris Andreæ Muſar Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ humiliter ſupplicantis nomine ſuæ Religionis, ſibi concedi facultatem reimprimendi Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, aliàs à San. mem. Urbano Papa VIII. de conſilio hujus Sacræ Congregationis anno 1643. approbatas, & confirmatas, ac de anno 1644. typis in Urbe editas, ac item de anno 1646. Viennæ in Auſtria denuò impreſſas: ita tamen, ut in tertia hac editione plures orthographici, typographicique errores corrigantur; & clariores, politioreſque voces, quæ tamen ſubſtantialia non immutent, in locum aliarum, quæ ſubobſcuræ erant, ſubrogentur; ac demùm aliqua ad melius Religionis regimen neceſſaria ſuperaddantur; Sacra Congregatio hujuſmodi correctionum, nec non additionum examen Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis D. D. Cardinalibus Buſſio, S. Agnetis, & præfato Albano Ponenti remiſit; quorum deinde auditis votis, Oratoris ſupplicationibus benignè annuendum cenſuit: eâ tamen lege, ut antedictæ correctiones, & additiones omninò fiant juxta ea,

quæ à memoratis Eminentiſſimis Patribus præſcripta ſunt, prout in foliis, quæ habentur in Poſitione aſſervanda in Archivio ejuſdem Sacræ Congregationis: injuncto inſuper onere præfato Oratori, ut exemplaria ejuſmodi tertiæ editionis minimè publicentur, niſi poſtquam per R. P. D. Secretarium reviſa, cum præfatis foliis collata, & ipſius Sacræ Congregationis nomine approbata fuerint.

Datum Romæ die 27. Aprilis 1725.

Joſeph Cardinalis Sacripantes Præfectus.

L. S.

Bartholomæus Ruſpulus Secretarius.

AD

AD LECTOREM RELIGIOSUM.

EA eſt humanæ voluntatis ad malum facilitas, atque ad bonum tarditas, ut neceſſe omninò ſit, eam certis vitæ legibus alligare, ne vel ad illicita effræni cupidine abripiatur, vel noxio torpore ab amore honeſti retardetur. Quod probè olim exploratum habuêre SS. Patres noſtri, cùm enim Divino complurium Stellarum in unum coëuntium oſtento admoniti, vitam Eremiticam Cænobiticâ commutaſſent, continuò novam ejuſcemodi vivendi formam, novis quoque vallare legibus ſunt aggreſſi; in quibus ſanctè ſervandis cum aliquamdiu ſeſe eximiè probaſſent, magno ſtudio à B. Patre Euſebio Romæ laboratum eſt, ut iiſdem legibus opportunum ſtabilimentum adderet, ac pro recens à ſe intra ſepta monaſtica coadunatâ familiâ, certam aliquam Regulam à Sancta Sede Apoſtolicâ obtineret, in quo negotio inſignem Divi Thomæ Aquinatis operam expertus fuit. Poſt hæc optimi Patris non degeneres Filii, cum in celeberrimo quondam Divi Laurentii propè Budam Monaſterio in Hungaria, comitia generalia celebrarent, Anno nimirum 1309. feriâ 6. poſt Feſtum Pentecoſtes, iiſdem legibus, non ex novo editis, aut inventis, ſed ex diverſis particulariter recollectis, magno animorum conſenſu, nec minore zelo colla ſubmiſere, eaſque communibus ſtudiis per ſe ac poſteros ſuos æternum inviolabiliter obſervandas recepêre; quæ res poſtmodùm complurium Summorum Pontificum authoritate firmata fuit. Et verò, quàm exactè ad memoratarum Sacrarum legum normam, mores ſuos vitamque compoſuerint, S. Joannes Capiſtra-

piſtranus teſtis locupletiſſimus oſtendit, qui noſtros Patres, dum adhuc corporeâ mole circumdati inter mortales degerent, illuſtri teſtimonio Sanctos nominare non dubitavit; Sanctus etiam Antoninus quaſi laudum compendio vitam illorum deſcripturus, eos regulariter vixiſſe, homineſque in vita, & poſt mortem in ſui amorem traxiſſe commemorat. Quin & ipſi Romani Pontifices, ſuavitate odoris, quem electa myrrha auſteræ illorum vitæ diffundebat, attracti, ſingularibus eos Privilegiis, & ſpiritualibus gratiis cumularunt, ut ipſorum Bullæ ſuper his editæ luculenter teſtantur. Cæterùm uti nihil fermè intactum ſinit edax temporum diuturnitas, ita nec huic ſancto rigori ex toto pepercit, ſed modò hanc, modò illam rigidiorem conſtitutionem ſubſtringere, & langueſcentibus ſenſim hominum animis diminuere cæpit, ut tandem Sacra Paulinorum familia, à primævo illo vivendi inſtituto non parùm remiſerit. Verùm ſe ipſam accuratiùs diſpiciens, zelo divini honoris inflammata, nec non ſublimioris profectûs deſiderio (ſicut & pleroſque alios Religioſorum cætus videmus, magnis niſibus ad majorem perfectionem contendere) cælitùs impulſa, mox adjecit animum, arcum nonnihil remiſſum denuò intendendi, & priſtinas ſuas leges ac ſanctiones pro viribus reſumendi, nec non aliquas, temporum ſtatu, atque animorum bono ſic ſuadente, veteribus adjungendi. Quas tandem ſedulo filiorum ſuorum labore ac operâ in meliorem formam redactas, Urbanus VIII. Pont. Max. diligentiſſimè reviſas approbavit, & Anno 1643. Apoſtolicæ authoritatis robore firmavit. Quapropter nos Majorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, cum Anno 1644. in Capitulo Generali legitimè eſſemus congregati in Monaſterio Sanctiſſimæ Dei Ge-

Genitrici, & Divo Wolffgango dicato, propè Sopronium in Hungaria, die Dominicâ, poſt ejuſdem Deiparæ Natalem, imploratâ Divini Numinis gratiâ, præfatas Conſtitutiones ſic approbatas, ac Romæ typo editas, communibus votis acceptavimus, eaſque Deiparæ Virginis, ſingularis Ordinis Protectricis, & Advocatæ, nec non S. Pauli Patris noſtri confiſi patrocinio, ſimulque erecti ſpe boni zeli præſentium, & ſubſequentium Fratrum noſtrorum, perpetuò inviolabiliter obſervandas commendavimus. Proinde omnes in Domino hortamur, ut in earum ſedulam ac indefeſſam obſervationem totis viribus incumbant, ſic enim fiet, ut Deo, Angelis, & hominibus futuri ſimus amabiliores, prout de antiquis noſtris Patribus traditum accepimus, eos nempè propter vitæ cum Sanctis eorum legibus conformitatem, Summis Pontificibus, Regibus, Principibus, & Eccleſiæ Catholicæ Prælatis, magnæ fuiſſe venerationi. Quod ſi quid auſteriùs, aut rigidiùs in iis occurrerit, id totum à Sanctis noſtris Patribus traxiſſe originem ſciendum eſt, quorum ſenſui, in earundem reviſione, Sacra Romana Sedes unicè voluit inſiſtere. Aderit nobis Divina bonitas per ſuam auxiliatricem gratiam, ut cunctas obviaturas difficultates fortiter vincamus, & in viros ſecundùm Cor Dei evadamus. Et ſanè Sancti Patres noſtri, vel ideò audivêre, & fuêre Sancti, quia ſibi præfixas ad ſanctè vivendum leges, vitâ ac moribus tenuerunt. Neminem viæ aſperitas terreat; ea namque ad patriam nos deducet; monitum Domini eſt: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*: & ut dixit non nemo: *per anguſta ad auguſta*. Intueamur Authorem familiæ noſtræ DIVUM PAULUM, qui vivens ac moriens mirabilis auſteritatis nobis exempla propoſuit, id ipſum fecêre ejuſ-

dem

dem Filii, (ut Annalium noſtrorum produnt monumenta) à quibus & nos non decet eſſe degeneres. Porrò totum volumen trifariam partimur. Prima ejus Pars Religioſum Tyronem inſtruit. Secunda, docet modum vitam in commune inſtituendi. In poſtrema, Officiorum norma deſcribitur. Qui Ordo ſanè perquàm ordinatiſſimus cenſeri debet, ſiquidem nemo facilè rectè præerit aliis, qui non fuerit priùs tyro humilis, ac ſubditus probatus.

Ad R. R. Patres, & Fratres Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.

TERTIO prælo Conſtitutiones Ordinis noſtri oraculo Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in publicum permiſſas, ante oculos mentis veſtræ repono Dilectiſſimi. Vitam illæ cunctis qualis eſſe debeat præſentant, non tam obſcurè ſicut in primæva vitæ Eremiticæ ſequela, authoritate ordinariorum probatæ præſeferebant; ſed congregatis ad lumen cælicum in cænobia ſuprema authoritate illuſtratæ, & approbatæ clarè viam Religioſam quâ ad aſtra eundem eſt monſtrant. Profectò recta, & Magiſtra hæc via eſt, quam Sacrorum Canonum ſpecialiter Sacroſancti Concilii Tridentini paſſim ſparſa firmant decreta, ita ut recto tramite gradiendum, nec ab eis ullatenus declinandum ſit; adeſt & deſiderata in hac editione tertia exactior Capitum coordinatio, politiorum terminorum ſuppoſitio, errorum orthographicorum, & typographicorum correctio, ut undequaque ſecuri promptè ad omnium introcontentorum obſervantiam currere valeatis; nec terreamini renovatis, verius reimpreſſis, nihil enim de antiqua earundem ſubſtantia deperditum, nihil immutatum, eandem ſed melius adaptatam, imò veluti conditam, atque guſtui veſtro accomodam exhibent vitæ Religioſæ portionem, adeòque ferventi animo ſumite, & viam mandatorum Regulari motu decurrite. Tandem verbis vos exhortor Apoſtoli 1. ad Theſſal. cap. 4. *De cetero ergo Fratres, rogamus*

vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis.

Devoveo.

Veſter infimus in Chriſto Servus
Fr. Chryſoſtomus Kozbialowicz
Prior Generalis indignus.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

REIMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX CAPITUM

Harum Conſtitutionum.

PARTIS PRIMÆ.

CAP. I. *De Inſtitutione Vitæ Regularis.* Pag. 1
CAP. II. *De Monaſteriis ubi Novitii ſunt educandi.* 2
CAP. III. *De Fratrum Laicorum Receptione, & Educatione.* 4
CAP. IV. *De Novitiorum Examine Receptioni præmittendo.* 6
CAP. V. *De Modo, quo Novitii Ordinis Noſtri habitum ſuſcipiunt.* 9
CAP. VI. *De Novitiorum Educatione.* 14
CAP. VII. *De Novitiorum Approbatione.* 15
CAP. VIII. *De Modo Profeſſionis faciendæ, tam à Fratribus Choriſtis, quàm Converſis.* 17
CAP. IX. *De Forma Profeſſionis emittendæ, & de Profeſſorum ſpirituali profectu.* 21
CAP. X. *De Monaſteriis Studiorum.* 23
CAP. XI. *De Litterarum Exercitiis, quæ in Monaſteriis Studiorum fieri debent.* 24
CAP. XII. *De Conferentiis Caſuum Conſcientiæ.* 25
CAP. XIII. *De Meditatione.* 26
CAP. XIV. *De Modo perſolvendi exercitia ſpiritualia.* 27
CAP. XV. *De Divino Officio.* 30
CAP. XVI. *De Feſtivitatibus Ordinis.* 33

CAP. XVII. *De Libris habendis ad usum Chori.* Pag. 34
CAP. XVIII. *De Missæ Sacrificio, & Prædicatione Verbi Divini.* 35
CAP. XIX. *De Sacramentorum administratione, & Processionibus.* 37
CAP. XX. *De Voto Obedientiæ.* 38
CAP. XXI. *De Voto Castitatis.* 39
CAP. XXII. *De Voto Paupertatis.* 41
CAP. XXIII. *De non alienandis bonis mobilibus, aut immobilibus.* 43
CAP. XXIV. *De Renovatione Votorum.* 46
CAP. XXV. *De Vitanda Divagatione, & de iis, quæ concernunt Obedientiam.* 50
CAP. XXVI. *De Disciplina, Jejuniis, & Clausura.* 51
CAP. XXVII. *De Parsimonia ad Mensam.* 53
CAP. XXVIII. *De Clausura, & Cellarum abusu tollendo.* Pag. 55
CAP. XXIX. *De Vestitura Fratrum, & quæ concernunt Paupertatem.* 56
CAP. XXX. *De Silentio.* 58
CAP. XXXI. *De Obligationibus Ordinis sub peccato mortali.* 60
CAP. XXXII. *De Moribus, & Cæremoniis nostrorum Regularium.* 61
CAP. XXXIII. *De Mortificationibus extraordinariis.* 64

PARTIS SECUNDÆ.

CAP. I. *De Capitulo Generali.* 65
CAP. II. *De Electione Patris Generalis.* 68

CAP.

CAP. III. *De Capitulo Provinciali.* Pag. 69
CAP. IV. *De Electione Provincialis, Definitorum, & Discreti Provinciæ, ac aliorum Officialium.* 70
CAP. V. *De Electione Discretorum Conventualium.* 72
CAP. VI. *De Discessu Priorum ad Capitulum.* 74
CAP. VII. *De Examine Discretorum.* 75
CAP. VIII. *De Examine Patris Generalis, aut Provincialis.* 78
CAP. IX. *De Modo Electionis Generalis, aut Provincialis.* 80
CAP. X. *De Electione Vice Generalis, Vice Provincialis, Definitorum, & Collegæ, seu Secretarii.* 86
CAP. XI. *De Agendis in Definitorio Generali, vel Provinciali.* 87
CAP. XII. *De Conclusione Capituli Generalis, vel Provincialis.* 91
CAP. XIII. *De Capitulo Hebdomadali.* 95

PARTIS TERTIÆ.

CAP. I. *De Communi Regula Superiorum.* 97
CAP. II. *De Auctoritate Prioris Generalis.* 99
CAP. III. *De Officio Prioris Generalis.* 101
CAP. IV. *De Officio Vicarii Generalis, vel Provincialis.* Pag. 104
CAP. V. *De Præeminentia, & Officio Provincialium.* Pag. 107
CAP. VI. *De Officio Definitorum.* 108
CAP. VII. *De Officio Procuratoris Generalis in Urbe residentis.* 110

CAP.

CAP. VIII. *De Officio Socii, seu Secretarii Prioris Generalis, vel Provincialis.* Pag. 111
CAP. IX. *De Officio Priorum.* 113
CAP. X. *De Officio Magistri Novitiorum.* 115
CAP. XI. *De Officio Discretorum.* 116
CAP. XII. *De Officio Supprioris.* 118
CAP. XIII. *De Officio Prædicatorum.* 119
CAP. XIV. *De Confessariis.* 121
CAP. XV. *De Officio Sacristæ.* 125
CAP. XVI. *De Officio Rectoris Chori.* 128
CAP. XVII. *De Officio Minoris Collegæ destinati ad obsequium Patris Generalis, vel Provincialis.* 129
CAP. XVIII. *De Hebdomadario.* 130
CAP. XIX. *De Lectore Chori, & Mensæ.* 131
CAP. XX. *De Officio Procuratoris Conventûs.* 132
CAP. XXI. *De Infirmaria, Infirmario, & Infirmis.* 134
CAP. XXII. *De Fratribus Agonizantibus.* 136
Absolutio Generalis pro Agonizantibus. 137
Alia Absolutio communis. 138
CAP. XXIII. *De Receptione Hospitum.* 140
CAP. XXIV. *De Officio Bibliothecarii.* 143
CAP. XXV. *De Janitore.* 144
CAP. XXVI. *De Archiviis Ordinis, Provinciarum, & Conventuum.* 145
CAP. XXVII. *De Sigillo Ordinis, Provinciarum, ac Conventuum.* 146
CAP. XXVIII. *De Depositio Ordinis, Provinciarum, & Conventuum.* 147
CAP. XXIX. *De Visitatione.* 148
CAP. XXX. *De Processu Judiciali.* 155
CAP. XXXI. *De Correptione Culparum.* 157
§. I. *De Levi Culpa.* 158
§. II. *De Gravi Culpa.* Pag. 160
§. III. *De Graviori Culpa.* 161
§. IV. *De Gravissima Culpa.* 162
§. V. *Observanda circa pœnas injungendas.* 163
CAP. XXXII. *De Quibusdam Excessivis.* 164
§. I. *De Percussoribus.* Ibid.
§. II. *De Apostatis.* 165
§. III. *Pœna Proprietariorum.* 167
§. IV. *De Pœna Excommunicationis.* 168
Forma servanda in Excommunicationis Sententia ferenda. 169
§. V. *De Privatione Vocis, Loci, & Coronæ.* 170
§. VI. *De Loco Pœnitentiæ.* 171
§. VII. *De Pœna Ejectionis.* 172
CAP. XXXIII. *De Monitis Generalibus pro Observatione Constitutionum.* 173

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Institutione Vitæ Regularis.

1. QUAMVIS in omnibus Monasteriis nostris eadem Instituti sit ratio, aliquod tamen in eis oportet esse discrimen, & Religiosorum profectui consentaneum, ac proximorum utilitati accommodatum.

2. Monasteria igitur nostra in tres ordines, seu classes distinguenda esse decernimus, quorum alia Novitiorum educationi, alia Studiis litterarum, quædam denique Professorum progressui, ac Sæcularium utilitati, & saluti destinentur.

3. In prædictis autem Monasteriis Religiosos, Novitiis, Professis, Choristis, & non Choristis computatis, non paciores duodecim, neque plures, quàm quot annui Monasteriorum redditus commodè alere possint, commorari præcipimus.

4. Et quia in novis Monasteriorum erectionibus compertum est, regularem disciplinam plurimùm detrimenti capere, ac mirum in modum, sive ob rerum penuriam, sive ob locorum in-

commoditates tepescere, ac laxari; ideò districtè prohibemus, ne Religiosi ad dicta loca se transferant permansuri, quousque Ecclesia, & domus habitationi, & regularibus Instituti nostri functionibus accommodata fuerint ædificata, nisi aliter Capitulo Generali in aliquo casu visum fuerit expedire.

5. Loca autem pro fundandis Monasteriis non recipiantur, nisi à Priore Generali pro tempore existenti, aut ab eo Provinciali, intra cujus Provinciæ fines reperientur visitata, ac maturius considerata, ab eodem fuerint approbata.

6. Ecclesiarum, & Monasteriorum fabricæ ita ædificentur, ut religiosam modestiam, & decentiam instituto nostro conformem præseferant.

CAPUT II.

De Monasteriis ubi Novitii sunt educandi.

1. NOVITIORUM Monasteria ab iis omnibus, quæ mentem illorum à rerum divinarum contemplatione distrahere, ac animi tranquillitatem perturbare possunt, oportet esse segregata.

2. Propterea Novitiatus deputentur in majoribus Monasteriis dissitis aliquantulùm ab oppidis, nisi aliter Capitulo Generali ex rationabili causâ visum fuerit expedire. In iis verò Generalem, ejusve Vicarium, & Provinciales commorari, studia litterarum exerceri, & hospites frequenter admitti prohibemus.

3. Curent Generalis, & Provinciales, ut Prior Monasterii pro Novitiatu deputati, eligatur ex iis, qui Novitiorum Magistri in Religione laudabiliter fuerint, ejusque electio in Capitulo Provinciali, ante aliorum Priorum electionem fiat. Noverit autem in eo munere constitutus de bona Monachorum educatione sollicitum se esse debere, quod planè præstabit, si ob-

observantiæ regularis veluti exemplar sese omnibus præbeat; communibus eorum actibus interfit, singulos visitet, ac soletur, & publicis, ac privatis exhortationibus, prout opus fuerit, eos in religiosa vocatione confirmet.

4. Novitiorum Magister ætate convenienti, ac religione, pietate, ac prudentiâ singulari præditus, in Capitulo Provinciali instituatur, ejusque officium usque ad Capitulum proximè futurum perduret, & Monasterii Novitiatûs Supprior existat; Et si Novitiorum numerus ita augeatur, ut solus dicto muneri satisfacere nequeat, illi socius ætate ac moribus similis, qui eum fideliter, ac diligenter adjuvet, in eodem Capitulo adjungatur.

5. Ne reverentia Magistro Novitiorum debita minuatur in Novitiis, sed ejus existimatio, & auctoritas apud illos conservetur, caveat Prior Monasterii, ne ipsum coram Novitiis aliquando corripiat, aut corrigat; Sed si quid reprehensione, aut correctione dignum commiserit, eum secretò admoneat, & corripiat, si opus fuerit.

6. Nihil prætereà circa Novitios Prior disponat, nisi re priùs cum eorum Magistro communicatâ, quo cum amanter admodum sese gerere debebit.

7. Professi quicumque ibidem commoraturi, singulari virtutum exemplo, ac regulari observantiâ ita præstent, ut ipsorum vita sit institutio Novitiorum. Ex Fratribus verò laicis, ii tantùm ibi degant, qui domesticis exercitiis erunt necessarii, & insuper idonei, humilesque, ac laboris amatores. Novitii etiam postremis præsertim anni probationis mensibus, in humilibus ministeriis, & officiis domûs exerceantur, ut eorum ingenium, ac virtus probetur.

8. Si Novitiorum Magister obierit, aut amotus fuerit, Provincialis in illius locum sufficiat, quem magis idoneum, re diligenter perpensâ, judicaverit; isque ejusdem Provincialis, aut successoris illius arbitrio sit amovibilis.

CAPUT III.

De Fratrum Laicorum Receptione, & Educatione.

1. LAici Fratres de Generalis, aut Provincialis licentia, & Presbyterorum in Monasterio commorantium assensu admittantur; præmisso tamen eorum vitæ, ac morum per aliquot dies examine, & antequam ad habitum recipiantur, domi maneant per quatuor menses, ut probentur; nisi Pater Generalis, vel Provincialis cum aliquo dispensaverit, quod rarò, & non nisi ex rationabili causa fieri debet.

2. Ii verò firmâ valetudine, ac viribus, & decenti corporis habitudine recipiantur, nec plures quàm Religioni videbuntur necessarii.

3. Si Monasterium, ubi Novitii educantur, eos receperit, Prior tempus opportunum illis assignet, quo cum Novitiis ad eorum exercitia conveniant; neque permittantur è Monasterio exire per annum, ut eo tempore in regulari disciplina proficiant.

4. VI. XII. XV. & XXIV. Mense post ingressum proponantur Capitulo Monasterii, eorumque vita, ac mores diligenter examinentur, qui si fideles, devoti, simplices, ac laboris patientes, & amatores, prout oportet, reperti fuerint, & digni qui ad professionem admittantur; eam expleto biennio sub eadem verborum forma, quâ Fratres Choristæ emittant, quam habes infrà cap. 9. num. 1.

5. Diebus Festivis plures audiant Missas, nec quisquam sine rationabili causa se absentet à sermone vulgari: in diebus laborum sufficiet eis unam audire Missam. Suas Orationes possunt perficere sub matutino Patrum, cui interesse (nisi gravioribus laboribus in die retineantur) debebunt: præsentes similiter aderunt, dum ante Completorium fit communis Confessio, nec

nec recedant, nisi factâ aspersione. Res aliorum, quæ communitatis labores impediunt, sine licentia Superioris nullo modo suscipiant; non tamen sint faciles ad excusandum, quod possunt commodè præstare Fratribus; pauca loquantur inter Presbyteros, aut Seniores, quin potiùs inter se ament silentium.

6. Ubique revereantur dignitatem Sacerdotalem in quacumque persona, sive Regulari, sive Sæculari; caveant ne exhibeant aliquid insolitum sine scitu Superioris: Diebus festivis discant spiritualia, præsertim Catechismum, modum meditandi, aliasque devotiones Clericis in communi præscriptas. Ipsorum est advertere, ad familiæ modestiam, cui exemplo præire debent, errataque ostendere Superiori.

7. Inter laborandum meminerint præsentiæ Dei, cum pio ad eum affectu; laboresque suos ita dirigant, acsi soli Christo laborarent, cui defacto in persona Fratrum, vel in persona Religionis inserviunt: undè labores suos fideliter sine intermissione usque ad mortem exerceant, attendentes in omnibus devotionem, & gravitatem morum. Reliqua eis applicentur ex norma provisoris.

8. Nullus Superiorum, etiamsi Generalis existat, alicui Converso coronam Clericalem dare possit, juxta Clementis VIII. decreta.

9. Iisdem Professis assignetur à Provinciali, vel Priore, Sacerdos, qui eorum confessiones audiat, & singulis hebdomadis publicam exhortationem ad eos habeat, ut in regulari disciplina juxta Constitutiones nostras dirigantur, & proficiant.

CA-

CAPUT IV.

De Novitiorum Examine Receptioni præmittendo.

1. QUi alterius Religionis Novitius, aut habitu Monastico usus, vel Eremita fuerit, in nostram Religionem non admittatur, neque qui regularibus oneribus ferendis ineptus extiterit, vel membrô aliquo, aut ejus usu caruerit, vel morbo obscæno, aut aliqua corporis deformitate, aut infamiâ ex ejus, aut parentum gestis laboraverit, aut cujus parentes sunt adeò pauperes, ut absque illius auxilio seipsos verisimiliter alere non possint; super his tamen defectibus Capitulum Generale, vel Provinciale, si ei in Domino videbitur, poterit dispensare.

2. Hæreticos quoque, schismaticos, & infideles, seu de hæresi, schismate, aut infidelitate suspectos, illegitimos, conjugatos, alterius religionis professos, criminosos, de aliquo delicto inquisitos, aut suspectos, infirmitate incurabili, aut habituali laborantes, ære alieno gravatos, aut rationibus reddendis obnoxios, irregularitate indispensabili, ut non sine difficultate dispensabili irretitos, in nostram Religionem recipi prohibemus; nisi Capitulum Generale habitâ priùs à Sede Apostolica super aliquo prædictorum defectuum, si opus fuerit dispensatione eos admiserit.

3. Si quis tacito aliquo ex defectibus proximè recensitis malitiosè Professus fuerit, Professio illius nulla sit.

4. Amentes etiamsi dilucida habeant intervalla, morbo comitiali laborantes, & servos ad habitum, & professionem recipi prohibemus, declarantes intentionem Religionis esse, eos nullo modo admittere; nec admissioni consensum præbere: quod ingressuris, & professuris significari præcipimus, & significatum esse volumus coram testibus; eosdemque moneri non habituros vo-

votum, seu vocem in Capitulo nisi post susceptum Sacerdotium, ac post lapsum triennii à professione computandi, nec in nostra Religione per quemvis actum Professis solitum, aut temporis lapsum tacitam induci professionem.

5. Quicumque ad habitum nostræ Religionis erunt recipiendi, ante omnia examinentur, quâ mente, quove spiritu hujusmodi vitæ institutum elegerint; an scilicet, ut Deo commodius inserviant, an potiùs aliquo alio humano affectu?

6. Prætereà, qui inter Choristas erunt adscribendi, non admittantur ad habitum, nisi per examen constiterit, eos in linguæ latinæ studio ita profeciſſe, ut statim post annum probationis superioribus scientiis operam dare possint; si tamen ob perspicax eorum ingenium super hoc defectu dispensatione digni visi fuerint, Generalis instante Conventu, ubi recipiendi erunt, illam concedere poterit.

7. Considerent examinatores recipiendorum ingenium, ac voluntatem, an sint faciles, mites, compositi, ad virtutes propensi? an potiùs difficiles, melancholici, propriæ sententiæ, vel inconstantes, aut mala consuetudine, aut habituali vitio præditi, & sine spe emendationis?

8. Ætatem quoque attendant, nam minores annis XVIII. & majores XL. inter Choristas recipi prohibemus nisi Generalis, vel Provincialis justa de causa cum aliquo eorum dispensandum esse censuerit, cum eo verò, qui annum XV. nondum expleverit, Capitulum Generale, vel Provinciale tantùm dispensare poterit. Laicos verò sicut ante XXI. ætatis annum admitti nolumus, ita post XXXIV. inhabiles judicamus.

9. Quicumque ergo Religionis nostræ habitum petierit, examinetur ante omnia à Priore loci circa vocationem, quam, si à Deo esse existimaverit, ac petentem idoneum judicaverit, eum uni ex Patribus tradet examinandum, nunquam verò aliquis recipiatur, nisi Provinciali, aut alteri ab eo deputato se præsentaverit, ab eoque post diligentem perquisitionem fuerit approbatus. Deinde antequam in Monasterium admittatur, examinetur super corporis valetudine, scientiâ, & aliis omnibus quorum cognitio haberi poterit ante probationem in Novitiatu futu-

futuram. Informationes prætereà juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & Noſtras ſupra relatas fiant, quæ unà cum recipiendo proponantur Monaſterii Novitiatûs Capitulo, ab illis Patribus approbandæ. Quod ſi habitum ſuſcepturus ab aliquo Monaſterio ad Monaſterium Novitiatûs mittendus fuerit, prædicta omnia in illo Monaſterio fiant, & de ſingulis certiores reddantur Patres Monaſterii Novitiatûs, & aliter non admittatur.

10. His ita peractis aſſignetur ei Cella in Monaſterio, in qua per dies aliquot commoretur, & Conſtitutiones Religionis diligenter perlegat, & perpendat; ut & habitum ſuſcepturus illius onera coram perſpicere, & religio ipſa illius virtutem, ac vocationem experiri poſſit; & ne de illarum diſpoſitione præſertim quoad effectum validitatis ignorantiam allegare valeat.

11. Tandem Capitulo iterum proponatur, à quo ſi per ſecreta ſuffragia majoris partis Capituli, ut opus eſt, approbatus fuerit, ad habitum admittatur, eoque de Generalis, aut Provincialis licentia induatur. Novitiorum verò veſtes, libri, & quidquid ad ipſos pertinet etiam pecuniæ, eorſum in loco tuto ponantur, & uſque ad Profeſſionis tempus aſſerventur, ita ut nemo de illis, aut aliqua earum parte diſponere poſſit, exceptis quæ ab iiſdem ante habitûs receptionem donata fuerint, & omnia in libro Novitiorum cum expreſſione anni, menſis, diei, & horæ annotentur.

12. Novitius ubi ſemel expulſus fuerit nunquam in poſterum recipiatur, niſi apertè conſtiterit, cauſas ejectionis ceſſaſſe; quod etiam ſervari volumus in reprobatis à Capitulo, quamdiù Generalis, & Provincialis arbitrio declaratum fuerit cauſas reprobationis deſiiſſe. Qui verò ſponte receſſerit, perpetuò ſit excluſus, niſi ipſius converſio certa futuræ perſeverantiæ argumenta præferret, ac de conſenſu Prioris, & Capituli illius Monaſterii, unde receſſit: ſi tamen ibi iidem Patres adhuc permanſerint, alioquin iis immutatis non recipiatur, niſi præmiſſo diligenti illius veræ converſionis examine. Expulſus denique ob culpas, in quas frequenter labi conſueverat, omni ſpe diſpenſationis perpetuò careat.

CA-

CAPUT V.

De modo, quo Novitii Ordinis Noſtri habitum ſuſcipiunt.

CUM Novitius debet indui, præmiſſis omnibus, & ſuo ordine obſervatis, quæ ſupra Cap. 4. & alibi de Novitiorum examine, & receptione præſcribuntur; priùs radatur in eadem veſte ſæculari; tempore verò deſignato facto ſigno campanâ, Fratres conveniant, & Superior accipiat Stolam, & benedicat habitum iſto modo:

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum, & terram.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui tegmen mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam; ut hoc genus veſtimenti, quod Sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium abrenunciantibus ſæculo ferre ſanxerunt, tu ita bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus N. qui hoc uſus fuerit veſtimento, te induere mereatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

℟. *Amen.*

Tunc Superior aſpergat veſtes aquâ benedictâ; & faciat exuere veſtimenta Novitii, dicens:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis.

Cum verò induitur habitu Ordinis, dicatur:

Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in ſanctitate & juſtitia veritatis.

Tunc proſternat ſe Novitius, & incipiatur Hymnus.

VEni Sancte Spiritus, & emitte cælitùs lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum, veni Dator munerum, veni lumen cordium.

Conſolator optime, dulcis Hoſpes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.

O lux beatiſſima! reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo Numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

Lava quod eſt ſordidum, riga, quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium.

Flecte, quod eſt rigidum, fove, quod eſt frigidum, rege quod eſt devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, Sacrum Septenarium.

Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Finito Hymno dicantur Litaniæ de omnibus Sanctis.

KYrie eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. Ora.
Sancta Virgo Virginum. Ora.
Sancte Michaël. Ora.
Sancte Gabriel. Ora.
Sancte Raphael. Ora.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. Orate.
Sancte Joannes Baptiſta. Ora.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ. Orate pro nobis.
Sancte Petre. Ora.
Sancte Paule. Ora.
Sancte Andrea. Ora.
Sancte Jacobe. Ora.
Sancte Joannes. Ora.
Sancte Thoma. Ora.
Sancte Jacobe. Ora.
Sancte Philippe. Ora.
Sancte Bartholomæe. Ora.
Sancte Matthæe. Ora.
Sancte Simon. Ora.

San-

Sancte Thaddæe. Ora.
Sancte Mathia. Ora.
Sancte Barnaba. Ora.
Sancte Luca. Ora.
Sancte Marce. Ora.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. Orate.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini. Orate.
Omnes Sancti Innocentes. Orate pro nobis.
Sancte Stephane. Ora.
Sancte Laurenti. Ora.
Sancte Vincenti. Ora.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane. Orate.
Sancti Joannes & Paule. Orate.
Sancti Coſma & Damiane. Orate pro nobis.
Sancti Gervaſi & Protaſi. Orate.
Omnes Sancti Martyres. Orate.
Sancte Silveſter. Ora.
Sancte Gregori. Ora.
Sancte Ambroſi. Ora.
Sancte Auguſtine. Ora.
Sancte Hieronyme. Ora.
Sancte Martine. Ora.
Sancte Nicolae. Ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores. Orate.
Omnes Sancti Doctores. Orate.
Sancte Paule prime Eremita. Ora.
Sancte Antoni. Ora.
Sancte Benedicte. Ora.
Sancte Bernarde. Ora.
Sancte Dominice. Ora.
Sancte Franciſce. Ora.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ. Orate.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ. Orate.
Sancta Maria Magdalena. Ora.
Sancta Agatha. Ora.
Sancta Lucia. Ora.
Sancta Agnes. Ora.
Sancta Cæcilia. Ora.
Sancta Catharina. Ora.
Sancta Anaſtaſia. Ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ. Orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Intercedite pro nobis.
Propitius eſto. Parce nobis Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab omni peccato. Libera.
Ab ira tua. Libera.
A ſubitanea, & improviſa morte. Libera.
Ab inſidiis diaboli. Libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate. Libera.
A ſpiritu fornicationis. Libera.
A fulgure, & tempeſtate. Libera.
A morte perpetua. Libera.
Per myſterium Sanctæ Incarnationis tuæ. Libera.
Per Adventum tuum. Libera.

Per Nativitatem tuam. Libera.
Per Baptiſmum, & Sanctum jejunium tuum. Libera.
Per Crucem, & Paſſionem tuam. Libera.
Per mortem, & ſepulturam tuam. Libera.
Per Sanctam Reſurrectionem tuam. Libera.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam. Libera.
Per Adventum Spiritûs Sancti Paracliti. Libera.
In die Judicii. Libera.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus.
Ut nobis indulgeas. Te rogam.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris. Te rog.
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere & conſervare digneris. Te rogamus.
Ut Domnum Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos Ordines in Sancta Religione conſervare digneris. Te rogamus.
Ut inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris. Te rogamus.
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis, pacem & veram concordiam donare digneris. Te rogamus.
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem, & unitatem largiri digneris. Te rogamus.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris. Te rogamus.
Ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas. Te rogam.
Ut omnibus Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas. Te rogamus.
Ut animas noſtras, Fratrum, propinquorum, & Benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias. Te rog.
Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris. Te rogam.
Ut præſentem Fratrem viſitare, & conſolari digneris. Te rog.
Ut ſpatium pœnitentiæ, & emendationem vitæ ei dones. Te rogamus.
Ut mentem ejus ad cæleſtia deſideria erigas. Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus.
Ut nos exaudire digneris. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata Mundi. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater

Pater noſter &c.
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Salvum fac ſervum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non noceat ei.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus indulgentiarum Pater, qui ſeveritatem diſtrictionis temperans indulſiſti, ne filius portaret iniquitatem Patris; & mirâ diſpoſitione etiam malis benè utens, tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris: quæſumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo N. non obſiſtat, quod habitum Religionis per nos, tantâ ac tali re indignos acceperit; ſed miniſterium, quod per nos exteriùs exhibetur, tu interiùs per donum Sancti Spiritûs exequaris. Per Dominum noſtrum &c. ℟. *Amen.*

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es via, ſine qua nemo venit ad Patrem: quæſumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum N. à carnalibus deſideriis abſtractum, per iter Regularis diſciplinæ deducas, & qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: præſta, ut hæc vox invitationis tuæ, ita in eo convaleſcat, quatenùs peccatorum onera deponens, & quàm dulcis es guſtans, tuâ refectione ſuſtentari mereatur: & ſicut atteſtari de tuis ovibus dignatus es, agnoſce eum inter oves tuas, & ipſe te agnoſcat, ut alienum non ſequatur, ſed te; neque audiat vocem alienorum, ſed tuam, quâ dicis: qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui cum eodem Patre, & Spiritu

ritu Sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. *Amen.*

Tunc surgat Novitius, & aspergatur aquâ Benedictâ, & recipiat eum Prior ad osculum pacis, deinde omnes Fratres, & locetur in Choro in novissimo loco, similiter & in mensâ.

CAPUT VI.

De Novitiorum Educatione.

1. PLURIMUM refert, Fratres Novitios perfectè instrui, propterea Magistri Novitiorum conscientiam onerantes præcipimus, ut eos exactè doceat, omnia, quæ ad rerum spiritualium notitiam, virtutum acquisitionem, vitiorum fugam, passionum mortificationem, monasticæ vitæ perfectionem, Sacramentorum frequentiam, votorum, & regulæ (quam memoriæ mandent) Constitutionum observantiam, Congregationis mores, & cæremonias pertinent, ad quem finem quotidie ad illos sermonem habeat, & privatis etiam admonitionibus frequenter erudiat.

2. Attentè etiam consideret, quem cuisque Novitiorum referat fructum ex frequentia confessionis, & communionis, ex sacra lectione, atque oratione, eosque ad conscientiam suam, animique propensiones, ac motus sive bonos, sive malos, candidè aperiendos inducat, ut cognitis cujusque affectibus, faciliùs, ac meliùs ad finem instituti Religionis eos dirigere, ac perducere valeat; quod certiùs consequetur, si actiones, & exercitia quæcumque tam spiritualia, quàm corporalia singulis distribuat, & tempus ad ea præstanda opportunum præscribat.

3. Confessiones illorum in Choro, seu in Oratorio frequenter excipiat, & Venerabilis Eucharistiæ sumptionem, prout illis magis expedire judicaverit, permittat. Præter Magistrum Novitiorum, Prior alium iis Confessarium à Provinciali approbandum assignet, illisque interdum rarò tamen, & non sine speciali

ciali Prioris licentia singulis vicibus obtinenda concedat, ut ad aliquem ex Confessariis Monasterii accedere possint.

4. Novitios exerceri prohibemus in officiis, quæ commercium cum Sæcularibus requirunt, sed ipsemet Magister eos in domesticis occupet exercitiis; Prior verò non permittat, ut aliquis alius præter Magistrum prædictum, & alium, qui culpas audit, cum Novitiis familiariter conversetur, eosve reprehendat.

CAPUT VII.

De Novitiorum Approbatione.

1. UBI Novitiorum aliquis ad professionem erit admittendus, Patres Dei gloriam in primis, & deinde commune Religionis bonum præ oculis habentes, diligenter advertant, quantum ille in sui abnegatione, obedientiâ, humilitate, rerum spiritualium, cæterarumque virtutum studio profecerit, qui si inquietus, aut inconstans, aut duræ cervicis, infirmus, religioni inutilis, aliisve hujusmodi defectibus reperiatur obnoxius, rejiciatur.

2. Novitii Choristæ ter in anno proponantur Capitulo, 4. videlicet 8. & 10. mense; ubi verò ad id convenerint Prior, Magister, & cæteri Patres suffragaturi, quid de illis sentiant, priùs dicant, & deinde suffragia ferant.

3. Novitii ubi 1. 2. & 3. vice à majori parte Capituli fuerint approbati, domi remaneant debito tempore professuri; nisi aliquid posteà in iis fortè detectum fuerit, quò professione indigni judicentur. Quod si verò è converso à majori parte Capituli reprobati fuerint; etiamsi id primâ vice contigerit, statim ejiciantur.

4. Si tamen primâ vice suffragia æqualia sint, domi remaneant usque ad secundæ probationis tempus, si fortè proficiant, si verò secundâ, vel tertiâ vice suffragia sint æqualia, mox expellantur.

5. Si

5. Si Novitiorum aliquis in eas inciderit culpas, quæ ſcandalum aliis, & occaſionem præbeant delinquendi, ſtatim non expectato tempore, quo proponendus eſſet Capitulo, expellatur: imò ſi aliàs eidem propoſitus, ab eoque approbatus hujuſmodi culpas deinde commiſerit, coacto ſtatim Capitulo iterum proponatur, & veluti nunquam approbatus, rejiciatur. Si verò Novitius aliquis expellendus ſit ob culpas, quæ ſine infamiæ nota exponi nequeant Capitulo, Prior habitâ priùs de re hujuſmodi cum Magiſtro, ejuſque ſocio conſultatione, ex communi eorum ſententia negotium ad Provincialem, ſi adſit, deferat, ſin abſit, per litteras moneat, & de illius conſenſu Novitius expellatur.

6. Verùm in rejiciendis Novitiis aliquâ ægritudine non habituali laborantibus maturè procedatur, ubi de vitæ eorum integritate, atque ad Religionem aptitudine conſtiterit; de conſenſu Prioris, ac Novitiorum Magiſtri, obtentâ priùs à Generali, ſeu à Provinciali licentiâ, termini ad proponendos Capitulo Novitios, ac ad profeſſionem per eos emittendam præſtituti, prorogari poterunt, ne Novitius alioquin Religioni idoneus, ac utilis dimittatur.

7. Profeſſionem tacitam neque temporis lapſu, neque ex habitûs delatione, neque aliquorum actuum profeſſis peculiarium exercitio, neque aliâ ratione, induci volumus, ſed ſolam expreſſam admittimus, propterea ſi quis eam non emiſerit, & liberum illi erit, ſi maluerit Monaſterium deſerere, & Patribus illum dimittere.

8. Nemo Novitiis, aut cuiquam alteri præſertim extraneo, quid in Capitulo dictum, aut decretum de illis fuerit, referat, ſub pœna arbitrio Superioris imponenda; at Magiſter Novitiorum ubi decimo menſe propoſiti, & approbati fuerint, approbationem ipſam illis ſignificet, moneatque, ut rebus quiſque ſuis diſpoſitis ad profeſſionem, cùm tempus venerit, emittendam ſe præparent.

9. Ubi decretum fuerit, ut Novitius aliquis dimittatur, ſtatim è communi aliorum dormitorio ſegregetur, & alicui ex Patribus committatur, qui illi quid de eo decretum fuerit, ſignificet,

cet, eumque ſi opus fuerit, ſoletur, prudenterque rem agat, ne ille, eiuſque conſanguinei notam aliquam contrahant, aut minùs erga Religionem afficiantur, & ut etiam apud noſtros Fratres benè audiat, culpæ, ob quas expellitur, niſi publicæ fuerint, ſileantur.

10. Si anno Novitiatus expleto, Generalis, aut Provincialis de conſenſu Prioris, & Magiſtri Novitiorum, aut alterius ſenioris illius Monaſterii, abſolutè alicui Novitio licentiam ex cauſis ſupra num. 5. expenſis profitendi negaverit, ſtatim dimittatur, etiamſi à Capitulo fuerit approbatus.

CAPUT VIII.

De modo Profeſſionis faciendæ, tam à Fratribus Choriſtis, quàm Converſis.

1. CUM Novitius ad Profeſſionem admittitur, omnibus præmiſſis, quæ immediatè ſupra deſcripta ſunt, ſuo modo obſervatis, Prior Generalis, vel Provincialis, aut Prior loci, ſigno facto campanâ Fratribus ſuis capitulariter congregatis, dictum Novitium requirat: ſi ex animo devoto & ſpe perſeverantiæ, optatæque ſalutis affectu petat ipſam Profeſſionem? quò affirmante ſtet à Cornu Altaris in conſpectu Fratrum, & dicat flexis genibus verſum in Latino: *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Si verò eſt Laicus, prædictus verſiculus exponatur ſibi in vulgari, & ſic dicat, ut ſupra. Tunc dicant Fratres verſum: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat &c.* Tunc Novitius legat chartam Profeſſionis ſuæ, ſecundùm formam ſequenti Capite præſcribendam. Poſt formam Profeſſionis à Novitio prolatam cantent, vel dicant Fra-

tres versum: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo Sancto tuo, quod est in Jerusalem. Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat &c.*

Tunc recitentur sequentes Psalmi.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis: * *in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion; * *latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

Deus in domibus ejus cognoscetur: * *cum suscipiet eam.*

Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: * *convenerunt in unum.*

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * *tremor apprehendit eos.*

Ibi dolores, ut parturientis; * *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: * *Deus fundavit eam iin æternum.*

Suscepimus Deus misericordiam tuam: * *in medio templi tui.*

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * *justitia plena est dextera tua.*

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ; * *propter judicia tua Domine.*

Circumdate Sion, & complectimini eam: * *narrate in turribus ejus.*

Ponite corda vestra in virtute ejus: * *& distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum: & in sæculum sæculi: * *ipse reget nos in sæcula.*

Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.

Miserere mei Deus, * *secundùm magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum:* * *dele iniquitatem meam.*

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: * *& à peccato meo munda me.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * *& peccatum meum contra me est semper.*

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: * *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

Ecce

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * *& in peccatis concepit me mater mea.*

Ecce enim veritatem dilexisti: * *incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Asperges me hyssopo, & mundabor: * *lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: * *& exultabunt ossa humiliata.*

Averte faciem tuam à peccatis meis: * *& omnes iniquitates meas dele.*

Cor mundum crea in me Deus: * *& spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Ne projicias me à facie tua: * *& Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui: * *& spiritu principali confirma me.*

Docebo iniquos vias tuas: * *& impii ad te convertentur.*

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: * *& exultabit lingua mea justitiam tuam.*

Domine labia mea aperies: * *& os meum annunciabit laudem tuam.*

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * *holocaustis non delectaberis.*

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: * *ut ædificentur muri Jerusalem.*

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: * *tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum: * *habitare fratres in unum.*

Sicut unguentum in Capite: * *quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * *& vitam usque in sæculum.*

Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.

Quibus finitis dicat Prælatus.

Kyrie eleiſon. ℟. *Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Salvum fac ſervum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus, qui per coæternum tibi Filium cuncta creaſti, quique mundum peccatis inveteratum per Myſterium Incarnationis ejus renovare dignatus es: te ſuppliciter exoramus; ut ſuper hunc famulum tuum N. abrenunciationem ſæculi profitentem, ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam diffundere digneris, per quam in ſpiritu ſuæ mentis renatus, veterem hominem cum actibus ſuis exuat, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induere mereatur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Oremus.

DEus, qui renunciantibus ſæculo, manſiones paras in Cælo, dilata congregationis hujus temporale habitaculum cæleſtibus donis: & præſta, ut fraternæ teneantur compagine Charitatis, unanimes continentiæ præcepta cuſtodiant; ſobrii, ſimplices ſint, & quieti; gratis ſibi datam Profeſſionis gratiam fuiſſe cognoſcant; concordet vita illorum cum nomine, & Profeſſio ſentiatur in opere. Per Dominum noſtrum &c. ℟. *Amen.*

Deinde dicatur:

℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.*

℣. *Benedictum ſit Nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in æternum, & ultrà.*

℟. *Amen.*

Et poſt Benedicatur Profeſſus.

Et Benedictio Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritûs Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. *Amen.*

Quibus finitis admittatur ad oſculum pacis per ordinem ad ſingulos Fratres.

CAPUT IX.

De forma Profeſſionis emittendæ, & de Profeſſorum ſpirituali profectu.

r. NOvitii poſtquam tranſacto probationis tempore ad profeſſionem ſe diſpoſuerint, eam ſolemniter emittant, vovendo Obedientiam, paupertatem, & caſtitatem in hæc verba, videlicet: In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo, &c. *tali die, talis menſis.* Ego Frater. N. N. *de S. N.* filius N. N. *talis loci, & talis Parochiæ*, facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo Omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini; & B. Patri Paulo primo Eremitæ, & tibi Rev. Patri *de tali N. nomine*, & vice Reverendiſſ. Patris noſtri N. Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Pauli primi Eremitæ,& Succeſſorum ejus canonicè intrantium, & vivere ſine proprio, & in Caſtitate ſecundùm Regulam S. P. Auguſtini, & Conſtitutiones Ordinis uſque ad mortem. Si in manibus Generalis ſit facienda profeſſio, dicat abſolutè, & tibi Reverendiſſimo Patri Generali, &c. tuiſque Succeſſoribus. &c.

2. Profeſſionum liber in arca tribus clavibus munita aſſervetur, in eoque Novitiorum ætas, patria, nomina ſi ea mutentur, quibus in ſæculo vocabantur, unà cum propriis Parentum nominibus,& hora Profeſſionis annotentur. Singulorum autem profeſſionibus Prior Monaſterii, Magiſter Novitiorum, & Profeſſus

ipſe

ipſe ſubſcribat, & Profeſſionis exemplar ab iiſdem ſubſcriptum tranſmittatur ad Archivium Provinciæ.

3. Ne ſpiritus devotionis, ac Religionis in Novitiatu conceptus, emiſsâ profeſſione tepeſcat, volumus in unaquaque Provincia unam, ſeu plures domus, in quibus regularis obſervantia vigeat, Profeſſorum educationi deſtinari, in eiſque Profeſſos omnes etiam Sacerdotes expleto Novitiatu collocari, ibidem quouſque ſtudiorum tempus advenerit, vel aliter de iis à Provinciali diſpoſitum fuerit, permanſuros. Ne verò eorum humilitas, obedientia, paſſionum mortificatio, cæteræque virtutes in Novitiatu acquiſitæ detrimentum, ac diminutionem patiantur, imò verò in dies augeantur, in dormitorio clauſo ſub regimine, ac directione Magiſtri, à *Provinciali pro tempore* eligendi detineantur, ibique in ſpiritualibus exercitiis inſtruantur. Præterea mandamus, ut Fratres Profeſſi, quamdiù ſacerdotali charactere inſigniti non fuerint, ſi in Monaſterio Novitiatûs manſerint, in omnibus Novitiorum miniſteriis ſe exerceant, & Magiſtro Novitiorum per omnia obediant; ſi verò in aliis Monaſteriis collocati fuerint, Suppriorem Monaſterii, Profeſſorum Magiſtrum agnoſcant. Is autem ſingulis hebdomadis unâ ſaltem vice exhortationem ad eos in unum coactos habeat, eorumque confeſſiones excipiat, corripiat, & inſtruat, de interioribus, atque exterioribus eorum exercitiis rationem exigat, detque operam, ut ad virtutum omnium culmen contendentes, ſingulas viciſſim ſibi quiſque proponat, quarum actibus peculiari ſtudio, ac frequentiâ repetitis, earum habitus acquirat, efficiatque, ut à Novitiorum fervore quoad fieri poterit, non deficiant.

4. Fratres Profeſſi ad Sacros Ordines non promoveantur, niſi triennio poſt eorum profeſſionem elapſo, tunc verò ante omnia quoad mores à Patribus Monaſterii, & quoad ſcientiam ab examinatoribus erunt approbandi, & de ſingulis certior fiat Provincialis, qui nunquam, niſi ex cauſis valdè urgentibus permittat aliquem ante id tempus promoveri.

5. Iidem Profeſſi quouſque Sacerdotes non fuerint, ſuffragium in Capitulo non ferant, qui verò ante ſuſceptum Religionis habitum Sacerdotes facti, vel ante triennium à profeſſione ela-

elapſum ad Sacerdotium promoti fuerint, ante triennium à profeſſione expletum ſuffragia non conferant.

CAPUT X.

De Monaſteriis Studiorum.

1. DUo Monaſteria ſtudiis, Philoſophiæ unum, Theologiæ alterum, in unaquaque Provincia aſſignentur; hoc autem fieri volumus, ut noſtri, & regulari obſervantiâ, quam inter ſtudendum retineri mandamus, & litterarum ſcientiâ, proximis ad ſalutem exemplo pariter, ac doctrinâ prodeſſe valeant.

2. Curandum, ut prædictorum Monaſteriorum Priores tales eligantur, qui doctrinâ præſtanti, Monaſticoque regimini idonei ſint, & lectionibus, ſcholaſticiſque exercitiis modum præſcribere ſciant.

3. Priorem, ejuſque Suppriorem, alioſque Patres in iiſdem Monaſteriis collocandos Provincialis eligere ſtudeat virtute præſtantiores, qui, & conciones habere, & Sæcularium confeſſiones excipere valeant; Studentes enim in hujuſmodi exercitiis, ubi commodè fieri poterit, diſtrahi prohibemus.

4. Qui verò ſtudiorum cauſa eò mittendi fuerint, ingenio, ac virtute præditi eligantur, & anno, ab emiſſa eorum profeſſione tranſacto, niſi Generalis, aut Provincialis, quo ad hoc, cum aliquo diſpenſaverit. Adveniente porrò ſtudiorum tempore, ex Provincialis, aut Definitorum conſenſu, & prævio examine de vita, moribus, & ſcientiâ, illuc tranſmittantur omnes. Quod ſi redditus Monaſterii omnibus ibidem alendis non ſufficiant, cætera Monaſteria, quæ neceſſaria fuerint contribuant arbitrio Generalis, vel Provincialis cum conſilio Definitorum; ſtudiis verò incæptis nemo, niſi de licentia Provincialis, & unius ſaltem ex Definitoribus, prævio etiam examine illuc accedat.

CAPUT XI.

De Litterarum Exercitiis, quæ in Monasteriis studiorum fieri debent.

1. DUo saltem Professores Theologiæ, Philosophiæ unus seu plures, à Capitulo Provinciali deputentur, ita tamen ut in mortis, aut infirmitatis alicujus eorum casu, Provincialis alium in ejus locum sufficere possit, quo usque Definitorium Provinciale celebretur; horum autem non modò ingenium, ac doctrina spectetur; sed etiam pietas, & virtutes, quibus cæteros ad salutem possint erudire.

2. Professores, aliique omnes Ordinis *nostri*, quicumque ii fuerint, opiniones minùs communes, & novitatem præseferentes relinquant. Doctrinam verò Ecclesiæ Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis, ejusque inconcussa tutissimaque dogmata, tam in Theologicis, quàm in Philosophicis sequantur.

3. Sacræ Scripturæ Professores textus Sacros breviter interpretentur, & quæ sese offerunt difficultates breviter quoque solvant, nec Sancti alicujus Patris expositionem, nisi opposita alterius Sancti Patris interpretatione rejiciant.

4. Casuum conscientiæ, ac Theologiæ moralis Professores tam in Monasteriis studiorum, quàm in omnibus aliis dubia breviter solvant, & sententiis minùs probabilibus relictis, tutiores, ac probabiliores sequantur.

5. Nemo ex nostris librum, aliudve opus quovis modo inscriptum typis mandare possit, nisi servatâ Constitutionum Apostolicarum formâ, & de Generalis licentia, in scriptis priùs obtinenda; Generalis verò opus in primis per se legat, aut alteri è nostris legendum committat. Qui secùs aliquid imprimendum curaverit, voce activâ, & passivâ ipso facto privatus existat.

6. Studium Philosophiæ duorum, Theologiæ verò quatuor anno-

annorum spatio perficiatur; Sacræ Scripturæ, ac moralis Theologiæ unus, & fidei controversiis alter annus attribuatur; & in hujusmodi temporibus, seu terminis, à quoquam, præterquam à Definitorio Generali, seu Provinciali in uno anno Theologiæ, idque in casu necessitatis dispensari prohibemus: sed Studentes per dictum annorum curriculum studiis assiduam operam dare, eaque dicto tempore perficere jubemus.

7. Prior, & Professores in fine cursûs studiorum cujuslibet anni, Fratres studentes examinent de iis, quæ illo anno didicerint, & unumquemque eorum per secreta suffragia quoad mores, & deinde quoad scientiam separatim, si idoneum repererint, approbent, sin minùs rejiciant.

8. In omnibus Monasteriis, non tamen ubi Novitiatus existit, resolutio casuum, cui Fratres omnes interesse debent, ab iis, quos Provincialis decrevit, habeatur.

9. Litteraria exercitia, aliosque studiorum actus, distributionem temporis, horam matutini recitandi, & alia hujusmodi prout in instructione peculiari præscripta sunt, servari mandamus.

CAPUT XII.

De Conferentiis Casuum Conscientiæ.

1. DEcisor Casuum Conscientiæ, Dubium unum, aut alterum, de quo sunt futuræ conferentiæ, in loco per Superiorem designato in charta sequenti die post ultimas conferentias publicè affiget cum nomine illius, qui dubium debet resolvere. Porrò ipse Præsidens conferentiarum postquam omnes convenerint, in primis difficultates dubii propositi indecisas proponet. Tum designatus Pater quid sibi de proposito dubio visum fuerit dilucidè solvat adductis in confirmationem Auctoribus probatis, & rationibus magis nervosis, post alii Patres ordine suo, quæ sibi supra propositam doctrinam occurrant non tam impugnando, quàm

dubitando illi proponent reſolvenda, qui doctrinam propoſitam tractavit, ad quæ dubia ſi minùs idoneè reſponderit, ipſe Præſidens reſponſiones fundamentales dabit cum deciſione difficultatum à ſe in principio propoſitarum.

2. Materiæ autem parùm pudicæ, verbis abſtractis, & honeſtioribus tractentur; contentiones autem, aut quæ ad rem non pertinent omninò Patres devitent, ad quæ tollenda Superior ipſe conferentiis ſemper adeſſe curabit. Porrò prædicta omnia graviter, & ordinatè fiant omni confuſione procul ablegatâ, ita ut nullus dubia alterius, vel dictiones impediat, irrideat, aut parvipendat.

3. Materia autem nulla ſine ſufficienti diſcuſſione ſui, aut ſuarum circumſtantiarum, rerumque ſe conſequentium dimittatur.

CAPUT XIII.

De Meditatione.

1. OB Sacram meditationem, & contemplationem olim Ordinem noſtrum floruiſſe ex antiquis Patrum noſtrorum traditionibus, & ſcriptis liquidò conſtat, qui exemplo Sancti Pauli Proto-Eremitæ, tanquam ſoli cum ſolo Deo agentes ad illumque propius accedentes, magis magiſque ab ipſo illuminabantur, radioſque variarum virtutum in alios mittentes, non tantùm ſibi, ſed etiam proximorum ſaluti multum proficui extiterunt. Proinde quilibet Frater, totum tempus, quod ſibi ſupererit ab occupationibus clauſtralibus huic ſancto exercitio impendat, & tanquam ſolus cum ſolo Deo à Sæcularibus abſtractus, reverenter, & amabiliter converſari ſtudeat.

2. Poſt matutinum omnes Religioſi ſimul in Choro per mediam horam orationi mentali incumbant, & per aliam mediam horam immediatè poſt completorium. Qui verò legitimè impediti intereſſe nequeunt communi orationi, teneantur privatim idem

idem facere unà cum examine conſcientiæ: Fructum verò meditationis, & profectum in vita ſpirituali Superior à ſuis Religioſis aliquoties requirat.

3. Diebus jejuniorum poſt Veſperas conferentiæ de vitiis extirpandis, ac virtutibus inſerendis, de gradibus perfectionis, ac mediis illius acquirendæ, Patre ſpirituali per Superiorem, deputando illis materiam aſſignante, ac præſidente fiant, eo modo, quo paulò ante præſcribitur de conferentiis Caſuum conſcientiæ.

4. Exercitia ſpiritualia quilibet Frater nullo excepto, incipiendo ab ipſo Superiore, ſaltem ſemel in anno, idque in Adventu, vel Quadrageſima, aut vacationibus, qui ſtudiis ſunt impediti per decem dies in loco ad id apto facere tenebitur, modo præſcripto Capite ſequenti. Superior hujus rei negligens, utpotè contemptor vitæ ſpiritualis, graviùs in Viſitatione, aut Capitulo redarguatur: ſubditus verò ad locum pœnitentiæ per menſem detrudatur.

CAPUT XIV.

De modo perſolvendi exercitia ſpiritualia.

AD exercitium meditationum, pro quibus Priori Capite decem continui dies aſſignantur, Superior Ducem ſpiritualem unum ex Patribus prudentiorem, meditantibus aſſignabit, ejus officii partes erunt.

1. Admoneat meditantem, ut invocato auxilio Divino, Sanctæ Matris, Sanctorumque, omnes cogitationes excludat perinde acſi nullum aliud negotium haberet præter hoc, quod aggreditur pro jaciendo fundamento ſpiritualis profectûs.

2. In loco meditationis fortiter apprehendat præſentiam Dei, ut in conſpectu illius res ſuas peragat, ac itidem cor ſuum coram Deo effundat.

3. Et per quatuor, aut quinque dies exerceat ſe in via purga-

tiva circa deteſtationem peccatorum, vitiorum, paſſionum inordinatarum, amoris proprii, meditando de gravitate peccati, de damnis conſequentibus vitia, de brevitate vitæ, vanitate mundi, morte, judicio, inferno, & inde colligat affectus doloris, confuſionis, odii peccatorum, ac proprii amoris, timoris Dei &c. Tres autem dies aſſumet ad viam illuminativam, cogitando de virtutibus Chriſti in vita, & paſſione. Item de excellentia, ac præmio virtutum, de myſteriis Fidei, excitando in ſe affectus deſiderii, ſpei, amoris, &c. Reliquum tempus tribuat viæ unitivæ, recolendo excellentiam Dei, ac beneficia illius tam univerſalia, quàm particularia ſibi collata, promatque affectus laudis, gratiarum actionis, dilectionis, oblationis ſui penes merita Chriſti, Deo Patri in obſequium ſempiternum, auxiliaque petat per bonitatem, per clementiam, per merita Chriſti, per merita preceſque Virginis, & Sanctornm Dei; ipſos autem dies Dux ſpiritualis pro viis prædictis plures, vel pauciores meditanti aſſignabit pro diſpoſitione meditantis. Propter tædium verò meditans habeat libros ſpirituales, accingat ſe ad orationes vocales, jaculatorias, diſciplinas, aliaſque mortificationes, humiliationes, & proſtrationes in terra &c.

4. Lento paſſu procedat in meditando, & ſi aliquem affectum notabiliter ſentiat, diutiùs immoretur in eo, non procedendo ad alia puncta meditationis; ſi ariditas aliqua, vel deſolatio ſuperveniat, verbigratia, quod careat illuminationibus, devotis affectionibus, non ideò deſperet, ſed ſe magis humiliet, ac mortificet, & gratiam à Deo patienter expectet.

5. Meditans Inſtructorem ſpiritualem tanquam inſtrumentum Dei cum reverentia, ac confidentia excipiat, tanquam parvulus (etiam ſi ſibi videatur doctus) lac ſpirituale appetens, ſincerèque edicat, quas conſolationes, illuminationes, deſideria, deſolationes, propoſita habuerit, quæ etiam in ſcriptis ſibi notabit profuturis tentationibus, neque alias meditationes, aut pœnitentias aſſumat, præterquàm à Duce ſpirituali aſſignatas. Porrò duas horas quolibet die in ſola meditatione conſummet, quod ſi eſt debilioris complexionis, illæ poſſunt in partes dividi. Poterit autem ex conſilio Superioris Choro tam nocturno, quàm diurno adeſſe, Sa-

Sacrum autem nunquam omittat, vel audire, vel abſolvere; ac cum nullo, niſi tempore recreationis, idque ex conſilio Patris ſpiritualis quamdiù exercetur, colloquatur, propter collectionem ſpiritûs conſervandam.

6. Confeſſionem Sacramentalem, vel Generalem totius vitæ, aut anni, ſive ſimplicem ex conſilio Directoris ſpiritualis faciet, ac Communionem Sacram, vel Sacrificium Miſſæ prout in Bulla Pauli V. injungitur, perſolvet.

7. Finem proponat in illo ſancto exercitio non ſola ſolatia ſpiritûs, ſed profectum animi, ut peccata non tantùm mortalia, ſed etiam venialia ſuper omnia mala, quatenus Dei ſunt offenſa, maximè deteſtetur, vitia exſtirpet, maximè ſibi familiariora, edomet paſſiones, amorem proprium, propriam voluntatem, ac judicium prorsùs deſerat, robur contra tentationes acquirat, virtutes ſolidas comparet, Deo ſe uniat, & ex amore Dei exerceat opera heroica virtutum erga Deum, proximum, ac ſeipſum; denique ut ſe totaliter Deo reſignet ad facienda illa, quæ Deo placere perſpexerit, & toleranda adverſa ob honorem Dei ſine ulla determinatione, aut limitatione propriæ voluntatis; ad quæ omnia meditationes idoneæ, ac lectiones ſunt meditanti exhibendæ cum ſuis dogmatibus: Intelligat autem ex meditante, quæ via, aut virtus ipſi ſit maximè neceſſaria, ad quam comparandam illum adjuvet.

8. Quæret Dux ſpiritualis ex meditante, quæ puncta meditationis expediverit, quos affectus, & propoſita elicuerit, an aliqua deſolatio ſibi ſubſecuta, & quæ cauſa illius, quas inſpirationes Divinas habuerit? An fuerit memor præſentiæ Divinæ cum pio, & crebro affectu ad Deum?

An aliquis amor proprius, vel affectus alicujus rei creatæ à totali reſignatione Divina retrahat, habeatque in promptu media ad impedimenta tollenda, & pietatem promovendam? Porrò meditantem primis tribus, aut quinque diebus ſufficiet ſemel in die viſitare, niſi neceſſitas aliud ſuaſerit.

9. Meditans cum propoſito firmo, ac ſincero cordis affectu offerat ſe Deo ad beneplacita ipſius conſtanter explenda, exoret, aut obſecret per merita Chriſti, (ut ſupra) vires ad executionem pio-

piorum propositorum, gratias agat pro illuminationibus in præsenti sibi concessis, de defectibus admissis doleat cum proposito emendationis. Denique in majori diligentia, aut vigilantia vitam transigat fervidè proposita aggrediendo; in progressu actionum suarum priùs consideret cogitationes, verba, & opera: An Deo placeant, vel displiceant, antequam illa aggrediatur, quæque Deo grata viderit, seriò amplectatur, & è contra vim naturæ corruptæ inferat, se arguat, humiliet, memoriam præsentiæ Divinæ in se excitet, labentemque animum sæpius renovare, ac lapsas virtutes restaurare semper conetur.

CAPUT XV.

De Divino Officio.

1. DIvinum officium juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Religiosis nostris, qui ad illud tenentur, perpetuò peragatur in Ecclesiis nostris, singulis diebus etiam ferialibus Horæ Canonicæ tam Diurnæ, quàm Nocturnæ, clarè, distinctè ac punctatim stando quidem, non sedendo præter debiles, aut senes, aut valetudinarios, uniformiter persolvantur, ita videlicet, ut in medio versuum fiat pausa, & in fine imiliter, nec priùs altera pars Chori versum suum incipiat, donec alia finiat; in Choro mulieres nullo modo permittantur.

2. Prima ferialibus diebus horâ mediâ septimâ, Tertia ante Missam, Sexta post Missam Conventualem, Nona verò post prandium; sed in diebus jejuniorum sexta ante Missam Conventualem, & Nona ante prandium persolvantur: Vesperæ horâ tertiâ pomeridianâ pridie festi, & in ipso festo, ferialibus horâ mediâ quartâ pomeridianâ, exceptis diebus quadragesimæ, in quibus ante prandium præter dies Dominicos; Matutinum verò mediâ nocte, exceptis tribus diebus majoris hebdomadæ, in quibus horâ vespertinâ juxta Rubricas Breviarii Romani; Completorium autem horâ sextâ cum dimidia incipiatur; post quod im-

immediatè omnes simul in Choro incumbent orationi mentali per mediam horam, ut suo loco habetur, deinde recitentur Litaniæ Lauretanæ, & posteà fiat examen conscientiæ, communisque aspersio per Superiorem, cum Antiphona: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Psal. *Miserere mei Deus secundùm magnum misericordiam tuam. Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.* Et repetitur. *Asperges me &c.*

Vel tempore Paschali dicatur:

Vidi aquam egredientem de templo, à latere dextro alleluia, & omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, Et dicent: *alleluia, alleluia.* Psal. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria Patri &c. Sicut erat &c.* Et repetitur. *Vidi aquam.*

℣. *Domine, quoniam apud te est fons vitæ.*
℟. *Et in lumine tuo videbimus lumen.*

Oremus.

SAncti Spiritûs tui Domine corda nostra mundet infusio, & sui roris intimâ aspersione fœcundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

℣. *In unitate ejusdem Sancti Spiritûs benedicat nos Pater, & Filius.* ℟. *Amen.* ℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.*
℣. *Dominus sit semper nobiscum.* ℟. *Amen.*

His finitis fiat pulsus pro salutatione Angelica: (nisi consuetudo locorum sit alia) & statim post illum pulsum ter detur signum minori campanâ pro defunctis, quo tempore dicatur.

Oratio.

FIdelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis Domine.*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Horâ octavâ omnes omninò ad cellas sibi assignatas se recipiant

piant, & ad dormiendum ſe componant, & ſi aliquis in cella tunc habere lumen ſine licentia ſpeciali Superiors præſumpſerit, graviùs corripiatur.

3. Benedictionem in Prima, & Completorio, ipſe debet dare Superior; Antiphona poſt Veſperas Beatæ Mariæ Virginis de more dicenda cantetur etiamſi ipſæ Veſperæ legantur.

4. Beatæ Virginis Officium, juxta Rubricas Breviarii Romani quotidie pro incremento Ordinis noſtri cum Miſſa poſt Primam cantari, vel legi ſolita, ſecundùm Religionis noſtræ conſuetudinem recitetur.

5. Diebus feſtivis Veſperæ, ac Miſſa Conventualis in cantu peragi debent, ubi ſunt adminus ſeptem Fratres; ubi verò plures, fundationi, ac devotioni populi ſerviendum, ut ſaltem duplicibus quibuſvis cantentur.

6. Non nimis altè, nec nimis demiſsè cantabunt, & in fine verſuum longas caudas non faciant. Ad cantûs exercitium Fratres juniores ſub finem primæ horæ poſt prandium, ſaltem uno quadrante applicentur.

7. Cæremonias ad Altare, & Chorum præſcriptas in Rubricis Miſſalis, ac Breviarii Romani ſæpiùs legant, & ad unguem obſervent.

8. Fratres Converſi locò horarum Canomicarum pro matutino, & laudibus, dicant triginta Pater Noſter, & Ave Maria, & unum Credo, pro veſperis quindecim, pro aliis horis ſeptem, in fine Credo; pro Defunctis verò, ut ſuo loco.

9. Mentali orationi iidem Fratres Converſi ſingulis quibuſque diebus ſaltem per mediam horam tempore illis à Superiore aſſignato omninò vacabunt, quod ſupererit temporis, laboribus eis à Superiore præſcribendis, ſincerè, & ſollicitè impendant. Qui neſciunt legere, litteras nullo modo diſcere præſumant, & Frater illos docens graviori culpâ cum diſcente puniatur.

CA-

CAPUT XVI.

De Feſtivitatibus Ordinis.

Præter communia Eccleſiæ Feſta.

Feſta Ordinis hæc ſunt.

1. SANCTI Pauli primi Eremitæ Patris noſtri die decimâ Januarii cum Octava juxta Breviarium Romanum, ſermo tamen ad Populum, die decimâ quintâ ejuſdem Menſis, vel certè Dominicâ infra Octavam habeatur.

Ejuſdem Sancti Translatio decimâ quartâ Novembris. Item ejuſdem Feſtum Dominicâ tertiâ poſt Pentecoſten à nobis ſolemniter etiam ad Populum colitur ex Indulto Felicis Recordationis Sanctiſſimi Domini noſtri Urbani VIII.

Demùm ejuſdem Sancti commemoratio ritu ſemiduplici die primâ cujuslibet Menſis non impedita, ex indulto ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Urbani Octavi celebranda à noſtris per omnes Conventus.

2. Feſtum S. Antonii Abbatis decima ſeptima Januarii.

3. Sanctæ Agnetis vigeſima prima Januarii.

4. Sancti Caſimiri Confeſſoris, quondam Confratris Ordinis noſtri, quarta Martii.

5. Sancti Thomæ de Aquino Promotoris in confirmatione Religionis, ſeptima Martii.

6. Sancti Joſephi ſponſi Beatiſſimæ Virginis Mariæ decima nona Martii.

7. Sancti Benedicti Abbatis vigeſima prima Martii.

8. Sancti Joannis ante Portam Latinam ſexta Maii.

9. Apparitio Sancti Michaëlis Archangeli octava Maii.

10. Sanctorum Andreæ, & Benedicti Eremitarum Martyrum, decima ſeptima Julii.

11. S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis vigeſima ſexta Julii.

12. Festum Sancti Augustini cum Octava, vigesima octava Augusti.

13. Ejusdem Translatio undecima Octobris.

14. Festum S. Angeli Custodis juxta Directoria Diœcesana.

15. Sancti Gerardi Episcopi & Martyris, vigesima quarta Septembris.

16. Sancti Hieronymi Chronologi vitæ Sancti Patris nostri, trigesima Septembris.

In festis prædictis fratres devotioni studiosius incumbant, confitendo, & communicando, ac Sacrum Conventuale solemniter cantando cum utrisque Vesperis.

Alii dies Festi, qui ex constitutione Sanctæ memoriæ Urbani Papæ VIII. quæ incipit: *Universa per Orbem*. Colendi sunt, à nostris Fratribus omninò observentur.

17. In vigilia Nativitatis Domini, dum ex Martyrologio proferuntur verba: *Jesus Christus Filius Dei in Bethlehem Judæ nascitur*, Fratres universi ad Chorum per signum campanæ congregati se prosternant; simili modo faciant prostrationem in vigilia Annuntiationis, dum pronunciantur ex Martyrologio verba illa: *Annuntiatio Beatissimæ Virginis Genitricis Dei*: In die Paschatis seu Resurrectionis Domini, Presbyter Martyrologium cantabit, sicut in vigilia Nativitatis Domini solemniter ipse Superior.

CAPUT XVII.

De Libris habendis ad usum Chori.

1. IN quolibet Conventu Prior procuret, ut pro Missa Conventuali adminùs sit unum decenter aptatum Missale, & pro Missis privatis quot fuerint necessaria, & duo bona Antiphonalia, unum diurnum, aliud nocturnum, & Hymnarium cum notis Choralibus; item Psalteria cum Breviariis Choro deputatis, cum lucernis sufficientibus.

2. Sit

2. Sit etiam Martyrologium pro Prima, Rituale Romanum, Processionalia, Passionale, & Graduale correcta omnia, etiam accommodata cum notis musicis, ac accentibus Prosodiæ. Ipsi libri sint benè compacti, lacerati verò tempestivè reparentur.

3. His attendant seriò in visitatione sua Patres Generales, vel Provinciales, aut eorum Visitatores Commissarii, ac negligentes prædictorum etiam per successores puniantur acriter.

CAPUT XVIII.

De Missæ Sacrificio, & Prædicatione Verbi Divini.

1. QUalibet die præter Missam Conventualem, quæ ad intentionem Ecclesiæ, vel Conventûs, vel ut Superior in Capitulo hebdomadali determinaverit debet offerri, fiant Sacra in Conventibus nostris (non festinanter) juxta obligationes Fundatorum, ad dispositionem Superiorum, pro necessitatibus publicis, vel privatis Ordinis, ac Benefactoribus nostris, ita ut quilibet Presbyter quatuor Missas per hebdomadam absolvat, ex quibus, si quam neglexisse per Sacristam, & principaliter per Superiorem deprehensus fuerit, aliquo ferculo privetur, ac negligentiam supplere teneatur: si quis autem frequentiùs, & multò magis, quasi ex consuetudine in hoc defecerit, graviùs Superioris arbitrio puniatur.

2. Fratres Clerici, & Conversi quotidie teneantur interesse Missæ, illi præsertim, quæ summo manè, vel tempore Primæ in Ecclesiis nostris quotidie propter populum debet celebrari. Omnes autem Patres pro Missis cantandis, vel legendis è Sacristia egredientes; itemque Diaconi, & Subdiaconi, capite cooperto quadratis decenter incedant.

3. Omnes tam Superiores, quàm subditi legitimè non impediti Prædicationi verbi Dei interesse teneantur, & ut magis at-

tentè assistant, parati sint Superiori interroganti respondere, quem fructum inde reportaverint.

4. Anniversarium pro expiandis negligentiis celebretur in Mense Majo, ita ut quilibet Presbyter dicat Missam pro peccatis: Frater Clericus septem Psalmos Pœnitentiales, Frater laicus 22. Pater, & Ave Maria.

5. In virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, ut Anniversaria mox declaranda, ubilibet fuerint Patres nostri persolvant cum Missa pro defunctis, & Officio novem lectionum.

Et primò quidem die decimâ octavâ Julii, pro Fratribus nostri Ordinis defunctis. Secundò die undecimâ Septembris pro Ludovico Primo Hungariæ Rege, Parentibus ejus, & liberis. Tertiò die decimâ octavâ Septembris pro Benefactoribus, & familiaribus Ordinis, & demùm die vigesimâ Octobris pro Parentibus Fratrum nostrorum, dummodò prædictii dies non sint impediti, aliàs primâ quaque die non impeditâ. In cujus Missæ supplementum, quilibet Clericus septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, Conversi verò quinquaginta Pater noster, & Ave Maria persolvant. Alias Missas vide inferius parte secunda Cap. 12. num. 7.

6. Fratres Clerici, & Conversi singulis octo diebus confiteantur, ac communicent, & quoties solemnitates Salvatoris, Dominæ nostræ, Apostolorum, Patronorum Provinciæ, Ecclesiarum nostrarum, ac Festivitatum Ordinis veniant; Communio autem ipsorum ordinariè fiet in Sacro post Primam immediatè celebrando, vel in Missa solemni.

7. Errantes in cæremoniis priventur ordinariâ recreatione, ac jubeantur illas attentè legere, ac in illis se exercere.

Superior si ipse non poterit, constituat aliquem ex Patribus discretiorem, qui notet defectus in Concione, Missa, aliisque Cæremoniis Ecclesiasticis omissis, ad corrigendum.

CAPUT XIX.

De Sacramentorum administratione, & Processionibus.

1. NUllus Sæcularium Confessiones audeat excipere, nisi priùs à loci Ordinario fuerit approbatus, & à Superiore ad audiendum missus. Confessionalia sint tali formâ dispositа, ut circumstantes verba pœnitentis audire nequeant. Pro Fratribus autem in Sacristia, vel in Choro constituantur. Ibidem quoque Sacerdotum Sæcularium Confessiones audiantur.

2. Administrare Sacramentum extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ pro viatico, sive quando est ex præcepto Paschatis contra voluntatem Parochi, vel absolvere à quibuscumque censuris reservatis, nemo audeat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: neque solemnizare matrimonia, sub pœnis à jure statutis.

3. Neque alia officia Parochorum, etiam in suis Ecclesiis obire præsumat; in quibus autem Ecclesiis cura animarum penes nostros residet, non nisi deputati à Superiore Sacramenta administrent. Ac in posterum nostri Religiosi Parochias sub pœna carcerum, ac nullitatis actûs non suscipiant. Item prohibemus ne fiant Compatres sive in Baptismo, seu Confirmatione, sub pœna Superioris arbitrio.

4. Processiones fiant diebus solitis, & statutis ab Ordinario Romano. Aliis verò temporibus secundùm temporum necessitates, & Superioris dispositionem.

CAPUT XX.

De Voto Obedientiæ.

1. EX vi Voti Obedientiæ, quod Religiosi nostri emittunt, tenentur obedire in his „ quæ concernunt Regularem vitam, non solùm Prælatis Religionis, sed etiam specialiter, & maximè Romano Pontifici, non solùm quatenus est Caput Ecclesiæ, quo titulo etiam omnes sæculares obedire debent, sed peculiariter etiam ratione voti emissi obedientiæ in professione uti supremo omnium Superiori, & vi ejusdem voti obedientiam etiam præstare tenentur Sacræ Congregationi Regularium.

2. Quilibet ex Fratribus nostri Ordinis, qui voluntatem propriam pro voluntate Superioris propter Christum dederunt, mandatum Prioris sui, tanquam præceptum Dei, absque omni disceptatione cum omni festinatione humiliter perficiat, sicut velle noverit imperantem. In Capitulis quoque seu Congregationibus, ubi de Generalis, aut Provincialium electionibus non agitur, sive aliàs, licet aliqua injuncta graviora sibi videantur, faciles se suis Superioribus exhibeant Fratres, non attendentes pondus laboris, mutationis, aut itineris, sed supremæ mercedis retributionem.

3. Si quodpiam mandatum Frater rationabiliter credat vires suas excedere, ne durus, vel rebellis Obedientiæ Sanctæ videatur, illud statim suscipiat, deinde imperanti cum omni humilitate impossibilitatem exequendi aperiat, & si quod proponit, obtinere meruerit, cui Superior misericorditer condescendere debet. Tunc agat gratias Deo, & in posterum humilior fiat, sin autem secùs contingat, sciat sic animæ suæ saluti expedire, & speret se, cum Dei adjutorio posse jubentis implere mandatum, dicens cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

4. Fra-

4. Fratres, qui ut citiùs injuncta sibi officia absolvant, illa malè exequuntur, vel se abscondunt, ne mandatum ad eos veniat, vel ita se gerunt, ne eis Superior quid demandare audeat, vel cum murmuratione & tristitia, & tarditate imperata exequuntur, pænâ inobedientiæ sunt puniendi, arbitrio Superioris.

5. Ad primum porrò sonum campanæ, aut ad vocem, vel ad nutum Superioris statim se ad id, ad quod vocantur, conferant.

CAPUT XXI.

De Voto Castitatis.

1. QUÆ de Voto Castitatis in Regula Divi Patris Augustini, ac aliàs præscribuntur, sollicitè Fratres etiam in summa tranquillitate animi in praxim deducere conentur.

2. Si quis Fratrum Subditorum Ordinis nostri, (quod Deus avertat,) lapsum carnis perpetrasse, convictus fuerit, Prælatus ejus, pænam gravioris culpæ ipsum peragere compellat, in qua peragenda carceri mancipatum usque ad deliberationem Patris Generalis, aut Provincialis, ac Definitorum detinere debeat, omnibus secundis, quartis, ac sextis feriis pane, & aquâ dumtaxat semel in die confovendum.

3. Insuper firmiter statuimus, ut si quis Superior in vitium carnis inciderit, id Fratres sui Monasterii clam, & occultè, ipsoque inscio, servato tamen ordine charitatis, si Priori Generali, vel Provinciali propter longam distantiam loci notificare non possent, tunc Plenipotentiario, qui deputari debebit in singulis Provinciis ad capiendas informationes super his usque ad carcerationem inclusivè, & ad sententiam exclusivè, hoc teneantur intimare, pænas graviores pro negligentia subituri; qui omni depulsâ tarditate, ipsum adeat Conventum, ubi debitâ Inquisitione præmissâ, factique compertâ veritate,

præ-

præsentis nostræ Constitutionis auctoritate, totam super eum exercere valeat, & teneatur jurisdictionem, (carceri mancipando,) quam Prior Generalis, vel Provincialis, si tunc adesset, exerceret, præscriptorum dierum jejuniis ipsum affligendo ad ulteriorem deliberationem. Talis per decennium voce activâ, & passivâ privetur, & si gravius quid commiserit privatus sit perpetuò, & graviores ex Sacrorum Canonum jure pœnas luat.

4. Si quis carnale crimen commiserit, Frater qui cum illo est, teneatur sub pœna carcerum per unum mensem, Prælato excessum illius corrigendum quantò citiùs intimare; correctus verò ad locum, in quo tale malum commisit, ulteriùs non redeat, nisi ita religiosè conversatus fuerit, ut postmodùm per Prælatum illuc reversurus judicetur; Si verò hujusmodi peccatum occultum est, inquisitione secretâ secundùm personam, & tempus, condignam agat pœnitentiam.

5. Si quis autem de mala familiaritate notabiliter suspectus fuerit, & post admonitionem coram Fratribus factam, se non correxerit, Patri Generali, vel Provinciali significetur, ut provideat de ordinis honestate, Fratrisque periculum impediat.

6. Mulieres quantumvis provectæ ætatis, cujusvis nobilitatis, aut magnificentiæ, neque solæ, neque cum maritis, neque cum aliis quibuscumque intra clausuram Monasteriorum nostrorum, nisi de speciali Sedis Apostolicæ concessione admittantur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & aliis pœnis in Constitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. contentis.

7. Fratres cujuscumque qualitatis, & conditionis, sub eadem pœna gravioris culpæ, occasione seu prætextu cujuscumque infirmitatis nullatenus sese mulieribus extra clausuram exponant curandos, sine expressa licentia Superioris, quam concedere non debeat, nisi ex urgenti causa, & cum assistentia Religiosi gravis, & probati.

8. Fratribus verò, qui ex necessitate alloqui debent mulieres, juxta doctrinam S. Patris Augustini, sermo sit brevis, asper, & rigidus, solam salutem animæ spectans.

9. Ne-

9. Neque Pueri intra clausuram Monasterii sub quovis prætextu ullo modo pernoctare permittantur, sub pœna gravis culpæ irremissibiliter infligenda, nisi de expressa licentia Superioris, quam non nisi ex gravi, & rationabili causa concedere præsumat, sub pœna arbitrio Superiorum majorum.

CAPUT XXII.

De Voto Paupertatis.

1. QUAMVIS Religiosi Ordinis nostri habeant dominium bonorum temporalium in communi, in particulari tamen aliquid possidere, seu ut proprio uti quempiam, etiam ex Superioribus, repugnat voto paupertatis.

2. Bona omnia ingredientis Monasterium, de quibus ante non disposuit, professione factâ, ipso jure redduntur Monasterii propria; uti & alia omnia, quæcumque justo modo obvenientia regulari nostro Monasterio acquiruntur à Superiore, tanquam legitimo Dispensatore Conventui incorporanda, & in communi redigenda.

3. Nullus Superior cum subdito suo valeat dispensare pro retinenda pecunia penes se, vel penes aliquem alium quovis colore, aut titulo, nisi pro occurrenti præsentanea aliqua necessitate priùs à Superiore approbanda.

4. Quilibet Frater pecuniam, quæ illi à Consanguineis, Benefactoribus, Amicis, vel alio quovis licito modo obvenerit intra viginti quatuor horas, si fuerit in Claustro, vel statim ac pervenerit ad Monasterium, Superiori suo præsentet, & illicò in communi capsa Monasterii reponatur, & conservetur pro Religiosis necessitatibus, ejusdem Fratris per Superiorem applicanda; ubi ob paupertatem Domûs, vita communis, quoad omnia strictè servari non potest, & quod supererit, in communes Monasterii usus convertatur.

5. Dum ob aliquam publicam, aut privatam necessitatem

pecunia, aut alia res cuipiam Fratri conceditur à ſuo Superiore, illam non niſi pro eo uſu, quem Superior determinaverit, convertat, nec quis rem aliquam ſibi conceſſam, ut propriam poſſideat, vel ut propriâ utatur.

6. Alimentis, & veſtimentis, quæ ſecundùm poſſibilitatem Domûs habentur, Fratres contenti maneant; nec ullus eorum pro victu, aut veſtimentis, aliave re murmuret, quin abjecta magis amplectantur, quàm pretioſa, aliàs fruſtra Chriſti pauperes vocabuntur, dum paupertatis incommoda ſentire recuſabunt.

7. Frater contra formam harum Conſtitutionum aliquid retinens, dans mutuo, vel commodato, donans, aliquo modo expendens, abſumens, etiam ex rebus Conventûs contra voluntatem ſui Superioris, vel ex conceſſis ſibi, ſive à Superiore, ſive ab extraneo, domi vel foris abſcondens, deſtruens, vel in alium uſum, quàm Superior deſtinaverit, convertens, vel ut nomine ſuo aliquid donetur, procurans; vel qui paratum ſe non præſtiterit habita reſignare ad nutum Superioris, vel demùm ne ſibi res aliqua, vel ejus uſus, aut adminiſtratio auferatur, proterve impediens, execrabile vitium proprietatis committit; neque liceat alicui Fratri pecuniam ad effectum illam liberè diſtribuendi pauperibus, quibus ipſe Frater voluerit ſine approbatione Superioris accipere, vel apud ſe, aut alium retinere, quod ſi ſecùs feceri, pænâ etiam gravioris culpæ arbitrio Superioris puniatur.

8. Item Superior, qui extra communem capſam penes ſe, vel alium pecuniam ad ſui diſpoſitionem retinuerit, vel indebitè in ſuos, vel ſuorum uſus converterit, eandem culpam proprietarii incurrat: prætereà Superior, qui pecunias Monaſterii, vel quæ aliàs quomodolibet obvenerint, vel bona Monaſterii malè diſpoſuerit, aut cum detrimento diſponi culpabiliter permiſerit, pænâ proprietarii puniatur. Qui verò ad prohibitum, aut incertum uſum aliquid Fratri conceſſerit, tam Superior, quàm Frater, qui hujuſmodi conceſſione uſus fuerit, gravi pænâ mulctetur.

CA-

CAPUT XXIII.

De non alienandis bonis mobilibus, aut immobilibus.

1. NUllus omninò Superior cuiquam etiam parenti, aut conſanguineo, affini, vel amico ſuo de bonis Eccleſiæ, ſeu Monaſterii alicujus momenti dare præſumat ſub pæna depoſitionis, inhabilitatis ad officia, infamiæ, ac ignominiæ perpetuæ. Permittitur tamen Superiori ordinaria eleemoſynarum largitio juxta modum à Capitulo cujuslibet Conventûs pro reddituum quantitate præſcribendum; ſi verò ob aliquam juſtam cauſam modum præſcriptum excedere neceſſe fuerit, id Superior ſine ſpeciali Capituli Conventûs conſenſu facere non audeat, alioquin ſciat eaſdem pænas ſe ſubiturum, ſi præſenti Conſtitutioni contravenerit.

2. Nulli Superiores locorum bona mobilia pretioſa, nec etiam libros Conventuum ſine ſpeciali licentia Prioris Generalis vendere, permutare, aut quoquo modo alienare poſſint.

3. Nullus etiam Prior Generalis, bona domorum noſtrarum immobilia, ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ, aliquo modo alienet ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

4. Inventaria in libris benè compactis bonorum tam mobilium, quàm immobilium in omnibus Monaſteriis noſtris fideliter conſcripta, in Archiviis ſuis aſſerventur, & unum exemplar illorum penes Patrem Generalem, aut Provincialem, aliud penes Conventum maneat.

5. Nulli Superiorum bona Ordinis liceat externis arrendare, abſque licentia Patris Generalis, vel Provincialis, cum conſenſu Definitorum, & id quidem triennium non excedat.

6. Pro communi neceſſitate Ordinis in qualibet Provincia conſtituatur communis corbona, ſeu arca, in qua aſſerventur

pecuniæ, quæ à Conventibus ſolventur ſecundùm determinationem factam pro Conventibus per Definitores, & in quolibet Generali, vel Provinciali Capitulo, aut convocatione deferantur, & ſub cuſtodia Patrum Definitorum, aut ſaltem trium Patrum ſub diverſis clavibus in loco tuto aſſerventur.

7. Nullus Superior pecuniam unius Domûs, vel aliquam rem, aliò, etiamſi domus ſit noſtræ Religionis transferre audeat ſub pæna proprietariorum, & ſub eadem pæna nullus debita graviora contrahat abſque conſenſu ſui Capituli, quem ſi Fratres proterve in aliqua neceſſitate negaverint, recurratur ad Provincialem, vel ad Generalem.

8. Legata Eccleſiæ in nullos alios uſus, quàm Eccleſiæ, atque aliàs juxta præſcriptum Legantis, ſub eadem pæna converti præcipimus.

9. Fratres, qui ex aliqua beneficentia exterorum, Superiore concedente, libros pro uſu ſuo comparatos habuerint, ipſos illi Conventui inſcribant, & poſteà ad eundem Conventum, in quo comparati ſunt, revocato per Superiorem, aut ceſſante uſu reſtituantur.

10. Superiores omnes etiam Generalis, qui redditus, aut præſtationes peculiares, ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione officii ſui neceſſarios, quidquam expendant. Cùm verò contigerit ipſis in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis, qui ſecum erunt, victus, & alia neceſſaria ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditentur.

11. Nullus ex Superioribus locorum, ubi id commodè fieri poterit, adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & reddituum ſui Conventûs, etiam nomine Conventûs per ſeipſum habere ſive exercere poſſit. Sed univerſum id onus tribus Fratribus ejuſdem Conventûs, à Generali, vel Provinciali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tanquam Depoſitarius, pecunias, ac

ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet, alius de pecuniis, & rebus à Depoſitario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conventui univerſo, de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitùs interdictâ.

12. Cæterum hi tres, tam impenſi, quàm accepti, ſingulis menſibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejuſdem Conventûs probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant, & regeſta Superior, & ſaltem duo ex Fratribus adhibitis ſubſcribant, ac ſigillo Conventûs communient ad exhibendum Viſitatori, & Capitulo.

13. Ipſemet Generalis, vel Provincialis tenebitur rationem reddere in quolibet Capitulo coram Vicario, & Definitoribus ſuis, tam publicæ, quàm privatæ adminiſtrationis ſuæ, quæ in acta Capituli inſeratur.

14. In unoquoque Conventu, is tantùm numerus Fratrum habeatur, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus conſuetis, aut aliis obventionibus in commune conferendis, commodè poſſit ſuſtentari, habito reſpectu, non tantùm ad ipſum victum, & amictum Fratrum; ſed etiam fabricam, libros, medicinas, aliaque neceſſaria Conventui ipſi, & Fratribus. Redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter conſerventur.

15. Cæterum, quæ hìc non ſunt expreſſa, rejicimus ad Clementinas Conſtitutiones de largitione munerum juxta declarationem factam à Sacra Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ, confirmatam à Sanctiſſimo Domino noſtro felicis recordationis Urbano Octavo die 16. Octobris 1640. ut diligenter omnia obſerventur, acſi eſſent de verbo ad verbum conſcripta.

CAPUT XXIV.

De Renovatione Votorum.

1. AD firmius retinendam Monasticam disciplinam, Religiosi nostri, die Festo Sancti Pauli primi Eremitæ Patris nostri in Januario vota solemnia quotannis renovent modo, qui sequitur.

2. In Capitulo Hebdomadali Superior prænunciet futuram votorum renovationem, ut quisque se præparet ad Confessionem Generalem, vel annualem in pervigilio Festi, vel ipso die faciendam: ubi Communione Fratrum, ac Missis absolutis, exclusisque Sæcularibus fiet ad Fratres exhortatio de renovatione votorum mox futura, tum cantetur, vel legatur Hymnus: *Veni Sancte Spiritus*, ut supra Cap. 5. Finito Hymno dicantur versiculi eodem Cap. 5. post Litanias appositi, incipiendo à versiculo: *Salvum fac &c.* qui, uti & reliqui cum suis Responsionibus dicantur in plurali. Deinde addatur.

Oratio.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.
℟. *Amen.*

Post ipsemet Superior flexis genibus coram Altari legat clarâ voce sequentia verba.

EGo N. N. renovo meam Professionem, & promitto Deo, Beatissimæ Virgini Mariæ, Sancto Patri nostro Paulo primo Eremitæ, & Superiori meo Reverendissimo Patri Generali N. N. obedientiam, paupertatem, ac castitatem, juxta Regulam, & Constitutiones nostras, ut alacriùs serviam Domino, in sanctitate, & justitia, eumque toto vitæ meæ tempore glorificem: insuper propono illius honorem, ac proximorum salutem promovere, juxta quod Su-

Superior mihi injunxerit. Adjutor meus esto Domine, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Inde recedens privatum vitium sibi familiare assumat per virtutem contrariam omninò eradicandum, ac in dies proficiendum: pro quo suffragia Divæ Virginis, ac Sancti Pauli, aliorumque Patronorum invocet.

3. Absolutâ Superioris votorum renovatione, ipsemet Superior ad locum Evangelii sedeat; tum alii Patres, ac Fratres juxta antiquitatem eorum in professione eandem formam renovationis ex chartula præparata in manibus Superioris existente genuflexi ante ipsum Superiorem ex animo proferant: Novitii autem hæc verba pronuncient.

EGo Frater N. N. propono observare obedientiam, paupertatem, castitatem, ac suo tempore emittere professionem ad laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ, Sancti Pauli primi Eremitæ, ac totius Curiæ Cælestis.

Quibus finitis Superior surgens, dicat voce mediocri.
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

SEmpiterne Deus, & Omnipotens Pater, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice quæsumus super hos famulos tuos, & largâ tuæ benedictionis abundantiâ infirmitatem nostram corroborare digneris, ut promissa vota, quæ præveniendo aspirasti, per auxilium gratiæ tuæ, sanctè, piè, ac religiosè vivendo valeamus vigilanter observare, & observando, vitam promereri sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.
℟. *Amen.*

Deinde incipit canere, vel legere, *Te Deum laudamus.* Quem Conventus alternatim prosequitur dicendo.
Te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & universæ potestates.
Tibi Cherubim, & Seraphim: incessabili voce proclamant.

San-

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli, & terra: Majestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, Sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ Majestatis.
Venerandum tuum verum, & unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis Uterum.
Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni: quos pretioso Sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos usque in æternum.
Per singulos dies, benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine: miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.
In te Domine speravi: non confundar in æternum.

Quo finito dicitur, *Kyrie eleison*, & Conventus alternatim prosequitur, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*; Superiorque subjungit, *Pater noster.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Manda Deus virtuti tuæ.*
℟. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*
℣. *Salvos fac servos tuos Domine.*

℟. *Deus*

℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Esto nobis Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*
℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo,*

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hostibus redde securos.

DEus, qui nos à Sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus, impleamus, & nostræ professionis executores effecti, ad ea quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

4. Hìc Superior commendet Indulgentias à felicis recordationis Sanctissimo Domino nostro Paulo V. concessas Regularibus, quæ in omnibus Conventibus affixæ maneant in Sacristia: posteà ad charitatis significationem se omnes mutuò amplexabuntur.

CAPUT XXV.

De Vitanda Divagatione, & de iis, quæ concernunt Obedientiam.

1. SIcuti nulli Fratrum per firmissimum edictum licet recedere de domo, in qua per Generalem, vel Provincialem collocatus est. Ita nulli Superiori fas erit abeuntem pro residentia recipere, absque licentia eorumdem in scriptis obtenta, aliàs talis, ut & alii vagi, & ignoti Fratres apprehendantur, & in loco pœnitentiæ detineantur, interim informetur Pater Generalis, vel Provincialis.

2. Nullus etiamsi Superior fuerit, possit ire extra Provinciam quocumque titulo, vel prætextu, neque ad Parentes, & Cognatos, vel quascumque Peregrinationes absque speciali licentia Patris Generalis, vel Provincialis: si quis autem Superior huic Constitutioni contravenerit, per biennium voce activâ, & passivâ careat. Cæteri verò non Superiores pœnâ carceris per sex menses plectantur, & in qualibet feria sexta in pane, & aqua jejunent.

3. Provinciales quoque per sua specialia Statuta provideant seriò, ne divagationes Fratrum cum aliquo murmure Sæcularium, aut periculo Fratrum suorum in Provinciis fiant.

4. Nulli tam Subditorum, quàm Superiorum licebit ostiatim, aut ante fores Ecclesiæ, aut per pagos mendicare; si tamen aliqua necessitas urgens suaserit aliquid petendum, cautè, & religiosè id fiat per personas à Superiore determinatas.

5. Si quis Fratrum habeat quærimoniam contra quempiam, expectet adventum Visitatoris. Neque ad hoc, vel aliud negotium Generalem, vel Provincialem præsumat adire, nisi cum licentia, & obedientia in scriptis illius ex duobus, ad quem vult proficisci.

6. Nul-

6. Nullus Fratrum tam Superiorum, quàm Subditorum alicui negotio temporali, seu spirituali externorum absque expressa licentia sui Superioris se immiscat; neque externos intercessores adhibere audeat ad obtinendam licentiam exeundi, seu commorandi extra Monasterium, in quibus si quis deliquerit pro modo culpæ Superioris arbitrio puniatur.

CAPUT XXVI.

De Disciplina, Jejuniis, & Clausura.

1. APrima Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini, & à Dominica quinquagesimæ, usque ad diem Cænæ Domini, Fratres ter in hebdomada, hoc est, feriis secundâ, quartâ, & sextâ, simul disciplinam faciant, loco, & horâ deputatis; reliquo verò anni tempore singulis sextis feriis, nisi festum solemne, id est de præcepto occurrat prædictis diebus. Dum verò disciplina fit dicatur ab omnibus: *Confiteor &c.* deinde Superior subjungat: *Misereatur &c.* ℟. *Amen. Indulgentiam &c.* ℟. *Amen.* Et tunc recitetur alternatim Psalmus: *Miserere &c. Gloria Patri &c. Sicut erat &c.* mox adjungat Superior *Kyrie eleison.* ℟. *Christe eleison. Kyrie eleison, Pater noster.* quo dicto dicatur.

℣. *Salvos fac servos tuos.*
℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Mitte nobis auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere nos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

DEus cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*
In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. ℟. *Amen.*

2. A die commemorationis omnium defunctorum inclusivè Fratres nostri jejunent, usque ad Dominicam Adventus exclusivè, quo tempore semel tantùm in die lacticiniis utantur, exceptis Dominicis diebus, in quibus bis lacticiniis reficiantur.

A prima autem Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini exclusivè jejunent cibis quadragesimalibus, semel tantùm in die comedendo præter dies Dominicos, in quibus bis reficiantur; quodsi Festum Natalis Domini feriâ sextâ, vel Sabbato incideret, illa die à carnibus, & lacticiniis abstineant. A Nativitate Domini usque ad Septuagesimam exclusivè diebus Dominicis, feriis tertiis, & quintis, bis reficiantur carnibus, & feriâ secundâ bis lacticiniis, & si quis strictius hunc diem voluerit transigere in nomine Domini faciat, Feriâ quartâ, & Sabbato semel tantùm lacticiniis. A Septuagesima usque ad Dominicam Quinquagesimæ inclusivè jejunent semel tantùm comedendo lacticinia, in diebus verò Dominicis bis. A Quinquagesima usque ad Pascha, ac omnibus feriis sextis, in Vigilia Sancti Patris nostri Pauli primi Eremitæ in Januario, Sancti Augustini in Augusto, & in Vigiliis Sanctorum ab Ecclesia præscriptis, nec non Quatuor temporibus per annum vescantur cibis quadragesimalibus, semel tantùm in die. A Paschate usque ad Festum omnium Sanctorum inclusivè lacticiniis, vel carnibus reficiantur, ut supra dispositum est.

3. In die quoque Litaniarum majorum, nisi incidant in diem Dominicum, vel hebdomadam Paschatis, & tribus diebus Rogationum, semel tantùm reficiantur cibis quadragesimalibus, die tamen Parascéves, Vigiliis Beatissimæ Virginis, & vigilia omnium Sanctorum Fratres jejunent, nihilque coctum comedant:

dant: qui verò voluerint die Parascéves, & vigiliis Sancti Patris nostri Pauli primi Eremitæ, & Sancti Augustini in pane, & aqua jejunent. Quando porrò solemnes Festivitates, ut Natalis, & Circumcisionis Domini, & Festa Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Visitationis, & Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, Commemorationis omnium Sanctorum, Sancti Patris nostri Pauli primi Eremitæ, S. Augustini, & Ecclesiarum nostrarum &c. inciderint in ferias secundas, & ferias quartas, usus carnium concedatur.

CAPUT XXVII.

De Parsimonia ad Mensam.

1. OMnes Fratres cujuscumque statûs, & conditionis existant, in eodem Refectorio, eodem pane, cibo, & potu vescantur. Valetudinarii verò non in cella, sed in infirmaria communi reficiantur; & si quid cibi, aut potûs alicui Fratri donetur, in communi distribuatur, nec hujusmodi cibus, aut potus, uti nec alia esculenta, aut poculenta cujuscumque qualitatis aut quantitatis fuerint, alibi, quàm in communi dispensa reponantur.

2. Ferculorum qualitas, & numerus statui Religioso conveniens pro consuetudine, & qualitate Provinciarum, ac domûs possibilitate Fratribus apponatur. Diebus verò solemnibus aliquid ultrà consuetum addi poterit.

3. Ad mensam semper legatur caput unum ex Scriptura Sacra cum expositione Authorum probatorum, deinde usque ad finem mensæ aliquid ex spiritualibus, aliisque ædificationis libris approbatis; In solemnitatibus autem, & festis Sanctorum aliquid de festo occurrenti, diebus verò Dominicis aliquid ex homiliis, vel sermonibus Sanctorum Patrum: vel Sermones à Fratribus junioribus ad libitum Superioris habeantur, feriis sextis Regula Sancti Augustini, Sabbato Constitutio-

tutiones Ordinis, cum Tabula Officiorum ad prandium; vesperi autem legantur culpæ. Libri autem incorrecti ad mensam nullo modo permittantur. Si intra legendum sonus horæ audiatur, aut pulsetur ad Salutationem Angelicam consuetam, eam lector altâ voce recitabit.

4. Nullus præter Religiosos mensæ inserviat: omnes verò tam juvenes, quàm senes per hebdomadam cum omni modestia, & munditia inserviant.

5. Post benedictionem Mensæ venientes, in medio Refectorii genua flectant, nec surgant, nisi dato signo à Superiore, & post eos, qui in mensa recumbunt, sedeant.

6. Comedentibus in secunda mensâ nihil detur particulare, quod in prima non fuerit: neque ullus excepto Superiore, audeat quidpiam alteri mittere, neque ulli aliquo modo propinent, strictèque in Refectorio tam in prima, quàm in secunda mensa silentium observetur, nisi Prælatus dispensaverit, quòd rarò, & ex rationabili causa erit faciendum: dicendo ℣. *Benedicite*. ℟. *Deus*. ℣. *Dominus sit semper nobiscum*. ℟. *Amen*.

7. Surgentes à mensa gratias agant, & ad Ecclesiam processionaliter proficiscantur, dicendo Psalmum: *Miserere*, vel alium juxta Rubricas Romanas.

8. Nullus omninò extra mensam, & præcipuè post Completorium, nisi de licentia Superioris bibat.

9. Si quis in notabilem ebrietatem inciderit, sit privatus officio, & dignitate, si quam obtinet; simplex autem Frater voce activâ, & passivâ ad annum privetur. Si quis verò hoc crimen in usu habuerit, gravioris culpæ pœnâ puniatur.

CA-

CAPUT XXVIII.

De Clausura, & Cellarum abusu tollendo.

1. UT omnis scandalorum, & occasio vagationis tollatur, Conventûs clausura perpetuò, ac diligenter servetur, ac propterea à Superiore Janitor constituatur, qui diligentiâ, ac morum integritate maximè commendetur, is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium, & licentiam exeundi obtinuerit.

2. Nullus è Conventu egredi audeat nisi ex causa, & licentia, & cum socio, singulis vicibus impetratâ, ac benedictione flexis genibus acceptâ à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa sibi probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpiùs; licentia verò generalis exeundi nulli omninò concedatur.

3. Contravenientes autem pœnâ gravi etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam Janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

4. Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem accepturus, qui à Socio, (si videbitur) itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

5. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam noctu etiam occludat quin semper à Superiore possit aperiri.

6. Nullus, neque etiam Superior cellas sive in claustro, sive alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed unusquisque unicâ cellâ in dormitorio sicut cæteri Fratres (nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensâ humilibus, uniformi-

que

que ſupellectili quemadmodum Religioſos decet) contentus ſit: poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam concedere.

7. Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis, vel Provincialis judicio probanda, Socius ex eodem Ordine pro ſervitio concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum annum agat, & qui communi ſervitio ſit deputatus non concedatur, & ſi commodè fieri poteſt, ſit Converſus, ſeu Laicus.

8. In privatis cellis nulli camini permittantur, & ſi aliquis valetudinarius hypocauſto conceſſo cum diſpendio ſilentii, aut alterius Regularis obſervantiæ abutetur, ſtatim ſecundâ vice admonitus, illo privetur.

9. Proſpectus quoque cellarum vicinus ad ſæculares, corrigatur.

10. Fratres pro cuſtodibus Vinearum, vel Prædiorum, aut ubi facilè labi poſſint, nullo modo conſtituantur; nec vinum conditum aromatibus in Conventibus noſtris habeatur: Superiores ſecùs facientes, vel prædicta permittentes, præter depoſitionem ab officio, tanquam animarum ſeductores in Capitulo, aut Viſitatione graviter puniantur.

CAPUT XXIX.

De Veſtitura Fratrum, & quæ concernunt Paupertatem.

1. CUM album habitum in ſignum innocentiæ, & humilitatis indicium Sancti Patres noſtri abrenunciantes ſæculo ferre ſanxerint, ideò noſtræ veſtes ex panno albo vili tamen conficiantur. Non tamen ſint ſordidæ, aut immundæ, non nimis longæ, aut breves, non latæ, aut ſtrictæ, clauſæ, diſſutæ, non repetiatæ, non rugatæ, non ſciſſæ, non laceratæ, non fibulatæ

bulatæ, ad cavillas pedum deſcendant unà cum mediocriter lato Scapulari: Capucia itidem ad diſtinctionem aliorum Religioſorum, non nimis lata, nec nimis ſtricta, latitudo humeros cooperiat, anterior pars medietatem pectoris, poſterior cingulum non excedat. Horum uſus erit in Civitatibus, in Oratorio, Refectorio, Dormitorio, Eccleſia, & Choro, cum quibus permittuntur etiam pileoli rotundi à capite parùm, aut nihil elevati; non tamen fimbriati: Cinguli ſint ſimplices, latitudinis unius digiti. In indumentis autem nullus color præter album admittatur. In itinere verò ob pluvias, & alias aeris injurias arcendas, Fratribus liceat uti palliis nigris, pileis latis, & ocreis, ſervatâ tamen in omnibus religioſâ paupertate, & humilitate.

2. In hyeme, ubi uſus obtinuit, & neceſſitas urget, poſſunt habere Fratres ſub cappa pelliceum ex pellibus agninis, aut hædinis, quarum uſus in aliis ſubducturis adhibeatur: Pelliceum ſemper contegant cappâ.

3. Ubi ob paupertatem domûs, vel crebram mutationem Fratrum communis veſtiaria haberi non poteſt, Superior nullum Fratrum habere permittat in cella præter duos habitus cum duobus ſcapularibus, unumque pallium album. In Civitatibus verò majoribus ubi eſt frequentia aliorum Religioſorum, nigris palliis longis utantur ad diſtinctionem aliorum.

4. Pro lectiſterniis Fratres tam Prælati, quàm ſubditi poſſunt habere duos cuſſinos, unum ex corio, alterum ex tela. Item gauſape, & ſubſtratorium, unum ex corio, alterum ex tela, fæno, vel lanâ oppletum: ubi autem aſperitas frigoris urget, ſuperaddi poterit pulvinar magnum; pro debilibus autem, & infirmis, juxta ſuam diſcretionem Superior alia neceſſaria provideat.

5. Porrò dormiant induſio, & perizomate telæ craſſioris induti, non ſupini, aut terga verſi, ſed ſuper latera manibus circa pectus in modum crucis junctis, & quando capere non poſſunt ſomnum, eritque tempus dormiendi, jaceant oculis clauſis ſalubria verſantes in corde; nec duo in uno lecto ſimul quieſcere præſumant, niſi ex gravi, & rationabili cauſa, ſub

pæna à majoribus Superioribus infligenda. Induſia religioſa, & modeſtia deferantur, ut nullo modo extremitates illorum appareant, omnia autem indumenta, & lectiſternia, paupertatis religioſæ humilitatem præſeferant.

6. Dum quiſpiam Fratrum ex Monaſterio uno ad aliud ex obedientia mittitur, attendant Superiores, à quibus abit, ne ſi minùs decenter eum expediverint, ipſi impatientiæ anſam, vel ſcandalum ſæcularibus præbeant: unde mandamus ut cum honeſta proviſione dimittatur: rerum autem, quæ ſibi concedentur notam à ſuo Superiore ſubſcriptam, & ſigillo munitam Superiori ad quem venerit pro reſidentia, oſtendere tenebitur cum rebus ſibi conceſſis.

7. Ad ſummum quolibet menſe Fratres Clerici radantur, Coronæ in latitudine non excedant duos digitos; nec inter Coronam, & aures ſint pluſquam duo digiti. In barbis cultum more ſæcularium prohibemus: myſtaces ſint ſinæ caudis, & ob periculum Sacri Calicis, decentiamque religioſam ſæpiùs corrigantur.

CAPUT XXX.

De Silentio.

1. SILENTIUM ſtrictè omnes in Eccleſia ſervent, & ſi quid neceſſariò dicendum ſit, præcipuè cum extraneis id ſubmiſsâ voce, & paucis verbis fiat, idemque in Sacriſtia proportionaliter obſervetur. In dormitorio autem ex antiqua Ordinis conſuetudine à Completorio uſque ad primam, quando dicitur in Choro *Benedicite*, Silentium rigorosè obſervent continuum, nec cuiquam loqui liceat, niſi de licentia Superioris, & ſi quid occurrat dicendum, id nutibus vel ſignis, aut ſcripto notificent. In Refectorio tempore refectionis prandii ſimiliter, & cænæ, in prima, & ſecunda menſa, nec non tempore collationis continuò ſilentium continuum cuſtodiant: niſi

niſi fortè à Superiore cum licentia diſpenſetur dicto: *Benedicite*, ut ſupra: & tunc utilia, & neceſſaria ſine ſtrepitu, & ſubmiſsè loqui poterunt: pro ſilentio verò Supprior quotidie ſignum campanâ clauſtri dari curabit: Manè quidem poſt Primam in Choro abſolutam, & Sacrum maturum; poſt prandium horâ primâ, abſolutà recreatione, & poſt Completorium, ac aſperſionem factam.

2. Præter tempus recreationis poſt prandium, & cænam, non tamen poſt collationem Fratribus conceſſum: reliquum tempus in orationibus, lectionibus, ſtudiis, aliiſque religioſis exercitiis, nullo modo in confabulatione, aut vagatione impendatur: Otioſi à Superioribus, ſive per ſe, ſive per alios diligenter obſerventur, & in Capitulo iſtiuſmodi duriùs redarguantur: unam tamen diem per hebdomadam pro honeſta recreatione Superior Religioſis permittet: citra tamen diſpenſationem à Choro.

3. Propalantes res domeſticas ſæcularibus reticendas, pænâ graviori plectantur. Revelantes verò ſecreta, ordinem diffamantia, excommunicatione feriantur.

4. Nullus Religioſorum litteras ſine licentia Superioris ſcribat, neque mittat, neque recipiat, ſed eas fideliter eidem Superiori oſtendat, qui contrafecerit arbitrio Superioris, etiam graviter puniatur: qui verò frequentiùs in hoc deliquerit, pænâ quoque carceris mulctari poſſit. Liceat tamen cuilibet Religioſo ſcribere, & mittere litteras ad ſuos Superiores majores, tam intra, quàm extra Religionem, ab eiſque litteras recipere.

5. Detrahentes famæ Religioſorum, pro qualitate delicti graviter arbitrio Superiorum, etiam uſque ad pænam carceris, & privationis vocis activæ, & paſſivæ, & loci puniantur, & Religioſi quibus hujuſmodi detractores innotuerint, Superioribus eos deferre teneantur.

6. Ut quies, & tranquillitas Monaſterii conſervetur, præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, ut nullus Superior quacumque ex cauſa, vel prætextu intra clauſtra Monaſterii potum aliquem vendere minutim permittat. Hoſpites non paſ-

ſim, & non niſi ex rationabili cauſa, & maturâ adhibitâ conſideratione invitentur, ac ſecundùm paupertatem religioſam tractentur, ita ut magis ad devotionem, quàm ad aliquam vanitatem moveantur.

7. Nullus Religioſorum extraneum ad cellam ducere præſumat ſine licentia ſpeciali, quam deliberatè debet concedere Superior, & rarò. Imò & Frater cellam alterius Fratris ſine gravi neceſſitate ingredi non audeat, & quamdiù ibi alter præſens erit, cella non occludatur; ſecùs faciens arbitrio Superioris puniatur. Quodſi noctu id fecerit, graviori pœnâ plectatur, & qui ſciens, tales non denunciaverit; pro complice habeatur, ac puniatur.

CAPUT XXXI.

De Obligationibus Ordinis ſub peccato mortali.

1. QUAMVIS noſtræ Conſtitutiones ex antiquo tenore non obligent ad culpam, ſed ad pœnam ſubeundam: nihilominùs, quæ ſunt poſitæ ſub forma ſtricti præcepti, vel in ſe continent vota eſſentialia, tranſgreſſores ſui, reos peccati mortalis efficiunt, quorum aliqua hìc placuit enumerare, & alia ſtatuere, & declarare, quæ pro communi & particulari bono Religionis, viſa ſunt magis neceſſaria.

2. Si quis quatuor Anniverſaria, de quibus parte 1. Capite 18. num. 5.

3. Si quis duodecim Miſſas, cum aliis additis, de quibus par. 2. cap. 12. num. 7. non abſolverit.

4. Si quis ex Superioribus ex odio, ſeu ad malum finem Fratrem ex ſua reſidentia mutaverit.

5. Si quis quaſcumque conſpirationes in viſitationibus, de quibus par. 3. cap. 29. num. 6. fecerit.

6. Si

6. Si quis Superior cum ſcandalo Conventûs non viſitaverit infirmum ſaltem per alium Patrem.

7. Item non denuncians Fratrem delinquentem, quem non poteſt aliter à peccato mortali retrahere. Item Prælatus debito modo non corrigens peccata præſertim manifeſta, & iis quibus poteſt, non obvians.

8. Viſitatores quoque non impedientes diſtractionem bonorum Conventûs; Priores in ſuo diſceſſu ad Capitulum, non manifeſtantes fideliter bona relicta, aut pecuniam Suppriori; item contemnentes cum ſcandalo aliorum, contenta in Regula, vel Conſtitutionibus, aut præcepta Superioris: denique non curantes ex contemptu ſolvere pœnas ſibi pro negligentiis aſſignatas.

Omnes ſupradicti vinculo peccati mortalis innodantur.

CAPUT XXXII.

De moribus, & cæremoniis noſtrorum Regularium.

1. PRÆTER ſupra poſita in Conſtitutionibus attendere debent omnes Fratres tam Novitii, quàm Profeſſi, Clerici, & Presbyteri, ut ſint optimè diſciplinati in his tribus.

Primò circa Chorum.

1. Obſervent locum in Choro ſibi aſſignatum, & in eo ſtent, & pſallant devotè, & reverenter; attendant Superiores, quod omnes ſimul incipiant, & finiant officium ad nutum ipſorum Superiorum.

2. Tempore Communionis mappam ſub mento applicent, & teneant ambabus manibus, receptâ hoſtiâ, terram non oſculentur. Presbyteri autem cum patena, aut pyxide Communicantibus dent Euchariſtiam.

3. Habeant Orationale, & Legibulum, nec non precariam Coronam B. V. M. ac dum non canitur, orent ſilenter, caven-

tes

tes ne per ſuſpiria, aut alios actus externos; aliis diſtractionem faciant.

4. Libros cum ſtrepitu non aperiant, vel claudant.

5. Apertum ſemper habeant librum ante ſe, dum aliqua in Choro recitant.

6. Pſallentes in Choro non proſpiciant prætereuntes.

7. Miniſtrantes Altari curent, quod omnia decenter, & juxta Rubricam Miſſalis Romani peragantur.

8. Inclinationes tam profundas faciant, ut poſſint genua manibus attingere, ut ad *Gloria Patri &c. ad clauſulas Orationum*, ad verſum: *Benedicamus Patrem & Filium*, in Cantico trium Puerorum; ad verſum: *Sit nomen Domini benedictum*, in Pſalmo *Laudate pueri*. Ad verſum: *Sanctum & terribile*, im Pſalmo *Confitebor*.

9. Quando recitant, aut dicunt lectiones capite detecto dicant: item tempore Evangelii, & elevationis Euchariſtiæ: ad *Orationem* verò, *Capitulum*, *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, partem ſolummodò tonſuræ denudent: & paulò à ſtallis ſe removeant, ſicut & ad *Te Deum laudamus*.

10. Dum miniſtrant, ad ſacra nomina *Jeſus*, & *Maria*, caput inclinent. Dum verò ſtant, ſimiliter genua flectant ad verſum: *Te ergo quæſumus*, in hymno Ambroſiano, & ad hymnum: *Ave Maris Stella*, ac in Miſſa: ad *Salve Sancta Parens*.

11. Evangelium ſtantes reverenter audiant.

12. In Thurificatione obſerventur Rubricæ Miſſalis Romani.

13. Hebdomadarii Miſſam Conventualem ita legant, ut verba diſtinctè, & clarè poſſint audiri: Miſſas autem privatas reliqui devotè pariter, & clarè recitent.

14. Candelæ in fine officiorum, ita extinguantur, ut non fumigent.

15. Semper mediocri tono cantent, dum verò cantant Orationes, & Capitula, aut Evangelia, Tritonum non excedant.

Secundò circa Menſam.

1. Poſtquam ſignum datum fuerit ad Refectorium, omnes ingrediantur, & Sacræ Imagini, vel Cruci Refectorii caput inclinent,

nent, deinde loti ſtent, & maneant in ſilentio, donec Prælatus acceſſerit; quod ſi illo die aliqui culpam commiſerint, veniam petant flexis genibus à Prælato, dicto: *Benedicite*, uti pro negligentia matutini; ita ſedeant, ut ſe invicem non impediant.

2. Licet apponantur fercula, tamen non incipiant comedere donec Prælatus ſignum dederit: cæterum urbanè, modeſtè, & cum nitore reficiantur.

3. Non effundant ſe ſuper eſcas, ſed cum timore Dei comedant de cibis appoſitis quantumcumque vilibus, quibus debent aſſueſcere; nec menſas lautiores externorum captabunt, imò oblatas vitabunt.

4. Sacram lectionem attentè audiant, parati dicere fructum illius à Superiore requiſiti.

5. Recogitent, quod forſan ex labore illius diei non merentur panem, quantò magis tot fercula.

6. Si quid opus habeant non voce, ſed ſignis, & nutibus juxta conſuetudinem, vel Superioris ordinationem petant.

7. Fragmenta ponant in vaſculum, vel ciſtam, ſervitores menſæ abſque ſtrepitu.

8. Oculos non volvant huc atque illuc, nec conſiderent eſcas, vel portiones ſedentis propè ſe.

9. Manutergia, ſeu mappulas convolvant prout viderint ab aliis, non tamen aliter niſi incipiat Prælatus.

10. Surgentes, ſtent ad gratias, quibus finitis, cum proceſſione vadant ad Eccleſiam, ac ſocium Collateralem attendant, nec præcedant, nec poſtcedant.

11. Finitâ cænâ, gratiiſque Deo actis poſſunt colloqui cum Superiore, vel cum aliis, cum quibus fuerit permiſſum, uſque ad tempus à Superiore præſcriptum.

12. In collatione ſimiliter loca aſſignata teneant, & non multum commorentur in Refectorio, ſed in cellam ſe recipiant,

13. Quando extra Refectorium contigerit eos comedere. eadem obſervent, & cum ſilentio comedant.

Tertiò circa Converſationem.

1. Si viderint, aut audiêrint aliquos ſimul loquentes non accedant, niſi vocati.

2. Rarò

2. Rarò juniores loquantur coram ſenioribus.

3. Si quid minùs religiosè viderint fieri, gravi, & modeſto vultu oſtendant ſibi id diſplicere.

4. Quando animi gratiâ loquuntur ſine clamore id faciant.

5. Nunquam ad invicem altercentur, quod ſi quis contentioſus fuerit, mox ipſi cedant, & ſileant.

6. Si cum Sæcularibus de licentia Superiorum contigerit loqui, id breviter, & religiosè faciant, & de rebus ſpiritualibus, & quæ ad ædificationem cedant cum eis agant.

7. Si causâ laboris, aut recreationis in hortum ſe contulerint, modeſtè, & religiosè ſe habeant.

8. Dum ad recreationes extra Monaſteria exeunt, omnes ſimul eant, nec ullò ſine expreſſa Superioris licentia divertant.

9. Ubi Presbyteri, & Fratres Clerici, ac Laici ſimul habitant, non immiſceant ſe in converſationem Fratrum Presbyteri, nec illi in horum.

10. In quo Conventu diverſæ nationis Fratres ſunt, in communi non loquantur, niſi linguâ latinâ, ſub pæna arbitrio Superioris infligenda.

CAPUT XXXIII.

De Mortificationibus extraordinariis.

1. MORTIFICATIONES extraordinariæ tempore Adventûs Domini, & Quadrageſimæ, & in ultima hebdomada ante feſtum Pentecoſtes ab omnibus Religioſis noſtris aſſumantur de licentia Superioris. In quibus ſi quis negligens fuerit ipſe Superior eum de illis moneat, illaſque ei injungat. Idemque Superior exemplo Chriſti in ſimilibus mortificationibus ſe exerceat, præcipuè in ſerviendo aliquando Fratribus in menſa. Mortificationes verò extraordinariæ erunt, proſtrationes in terra, genuflexiones, manus extenſæ in modum Crucis, oſcula pedum Fratrum in Refectorio, delatio Crucis in Refectorio, mendicatio cibi à Fratribus, dum prandent, aut cænant.

PARS

PARS SECUNDA.

DE COMMUNI REGIMINE.

CAPUT PRIMUM.

De Capitulo Generali.

1. CAPITULUM Generale ſingulis trienniis in vigilia Pentecoſtes celebretur, & juxta Bullam Martini V. in Hungaria.

2. Pro Capitulo Generali celebrando aderunt ex qualibet Provincia Pater Provincialis cum ſuo Collega, & Diſcretus Provinciæ cum ſuo ſocio, legitimè per Fratres Capitulares ſuæ Provinciæ electus, quibus de Viatico Provincia rationabiliter provideat.

3. Si ante ordinariam electionem ſexennii Generalem mori, vel extra Ordinem promoveri, aut deponi contingat, Vicarius Generalis poſt mortem, promotionem, vel depoſitionem illius, Religionem gubernabit, uſque ad proximum Capitulum Ge-

nerale, quod de triennio in triennium celebratur, in eoque Capitulo novi Generalis electio fiat.

4. Si Pater Generalis ob nimis diuturnum, vel habitualem morbum Religionem gubernare non possit, Vicarius Generalis regimen Religionis assumat: cessante autem morbo, Generalis ad regimen revertatur.

5. Si qui fortè Superiores vocem habentes in Capitulo Generali ob legitimum impedimentum à Definitorio approbandum, Capitulo Generali adesse non poterunt, mittant vice sui Patres idoneos, qui eorum absentiam secundùm suas conscientias excusent, sigillaque eorum, si tunc necesse fuerit, deponant, habeantque locum cum aliis in Capitulo, tanquam absentium vocalium Procuratores. Qui verò propter contumaciam, aliasque futiles causas se absentare præsumpserint, aut sigilla officii mittere noluerint, ipso facto, excommunicationi subjacebunt, nec ulla eis à Patribus præstetur obedientia post factam declarationem à Capitulo. Patres tamen discreti, aut alii vocales præter supradictos pro se substituere quemquam non poterunt, nec voci renunciare, aut suæ electioni sub pæna gravioris culpæ.

6. Omnes Capitulares tribus diebus ante diem electionis prædefinitum, qui est vigilia Pentecostes conveniant, & nullo modo antea accedere audeant sub pæna arbitrio Generalis infligenda. Capitulis autem intermediis die immediatè præcedenti sufficiet comparere. Hi autem tres dies ante electionem conceduntur ad inquirendam informationem, & instituendum examen de idoneitate personarum in ordine ad effectum electionis futuræ, quæ informationes debent esse puræ, & sinceræ, ab omnibusque inordinatis affectibus liberæ, quæ nullam simoniæ suspicionem pariant, & qui informationem accipit servet alteram aurem aliis, & amorem proximo, ut post accuratam discussionem relatorum secundùm Deum ad electionem procedatur.

7. Qui autem in informationibus, sive extra illas ambitiosè egerit, ut vel ipse, vel alius eligatur, aut etiam alicujus eligendi causâ alter excludatur, excommunicationi latæ sententiæ ipso facto subjaceat. Qui autem id sciverit, in virtute Spiritûs Sancti

cti, & obedientiæ sacræ sub præcepto formali teneatur ad Definitorium deferre, ut ille ambitiosus, si convictus fuerit, ex officio deponatur, & utrâque voce in perpetuum privetur, nisi Capitulum Generale post decem annos cum eo dispensare voluerit; scientes autem & non deferentes, si convicti fuerint voce activâ, & passivâ ad sexennium priventur, iisdemque censuris & pænis afficiantur. Si ipsemet Vicarius de hoc vitio notetur, judicetur à Patre Generali cum Definitoribus; Generalis verò à Vicario, & Definitoribus, quorum sententiis omninò standum erit.

8. Patres, qui ad Capitulum convenerint, & si fuerint propter aliquod belli, aut pestis, vel aliud quodcumque legitimum impedimentum absentibus pauciores, ipsum Capitulum suo tempore, & loco possunt, ac debent celebrare, & quidquid in eo decretum fuerit, universus Ordo in omnibus servare tenebitur.

9. Venientes ad Capitulum sine licentia, per totum tempus Capituli inflictâ eis disciplinâ, detineantur in loco pœnitentiæ; si quis autem habeat aliquas querelas, committat eas Discreto suæ Provinciæ manu propriâ subscriptas.

10. Ante Capitulum Pater Generalis tempestivè Provisorem Capituli deputet, & cum eo, & Priore loci, ubi celebrandum est Capitulum, seriò agat de necessariis pro Capitulo. Inchoato autem Capitulo post Adventum Capitularium præscribat Missas diversas votivas per Vocales celebrandas. Item Confessarios Capituli cum facultatibus suis, excepto gravi delicto in illo itinere spe futuræ Indulgentiæ commisso, pro quo specialis debet peti facultas. Assignet in eadem Tabella Patrem aliquem Religiosum, & gravem Præfectum Capituli, qui cum socio ordinationi templi, modestiæ regulari, ac necessitatibus hospitum attendat, ac discolos denuntiet. Item Custodes Capituli, & mensæ servitores deputet, nec non Lectores, qui primo die Capituli cantent Regulam ad mensam, aliis diebus Confirmationem, & Privilegia Ordinis, ultimo die normam Patrum Priorum, & mores regulares legant.

CAPUT II.

De Electione Patris Generalis.

1. ELectores, seu qui habent vocem activam in Capitulo Generali in nostro Ordine, Reverendissimus Pater Generalis, cum suo Vicario, Patres Ordinis, admodum Reverendi Patres Provinciales, vel eorumdem Ablegati, qui legitimè eorum vice mittuntur ad Capitulum; Patres Definitores Generales, P. Procurator Generalis, Secretarius Generalis, & Secretarii Provinciarum, Discreti Provinciarum, & eorum socii si mittantur à Provinciis, nec non Collega minor Patris Generalis.

2. In prædicta electione forma à Sacro Concilio Tridentino præscripta servetur, ita ut per secreta vota fiat electio; nullius-que Electoris nomen unquam publicetur. Nec licet pro absentibus Capitularibus alios Fratres sub titulo illorum ad effectum electionis faciendæ substituere, aut vota ipsorum quoquo modo supplere, aliàs electio nulla, & irrita sit, contraque hanc formam electus, ad omnia officia inhabilis existat.

3. Ante ipsam electionem prælegantur Constitutiones de requisitis eligendorum.

4. Ab electione tam activa, quàm passiva arcetur quisque excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, non professus, suspensus ab administratione Spiritualium, verbi gratiâ, Missa celebranda, Confessionibus excipiendis. Item suspensus ab executione Prælationis in Ordine; excluditur & ille, qui aliquando publicè, ac scandalosè Romanæ Ecclesiæ, aut Summo Pontifici detraxerit, qui notoriè indignum aliquando scienter elegerit. Denique qui non est bonæ famæ, id est, qui sine satisfactione, aut emendatione longi temporis de aliquo gravi vitio convictus fuerit.

5. In eligendis autem maturitas ætatis requiritur, ut sit saltem triginta annorum completorum pro officio Generalis, sincera

cera probitas, scientia, agendi dexteritas. In his tamen omnibus in primis spectanda est probitas. Unde tales sunt eligendi, qui possunt, & consueverunt Regulas, & Constitutiones observare, præsertim, quæ pertinent ad servitium Chori, vestitum, ac victum communem.

6. Eligentes scienter indignum, pœnam suspensionis ipso facto incurrant.

7. Electio Patris Generalis fiat præmisso juramento, & canonicè censeatur electus, qui supra dimidiam partem suffragiorum habuerit, ita ut si Electores sint viginti, & unus. Is censeatur electus, qui undecim vota obtinuerit, nec possit electus in sequenti Capitulo Generali reeligi, nisi cum Sedis Apostolicæ dispensatione.

8. Etsi Electio Patris Generalis ordinariè debeat fieri in Hungaria, propter tamen casum longioris belli, pestis, aut alicujus turbationis, de consensu Definitorum in alio loco aptiore celebrari poterit.

9. Procurantes in Ordine officia, vel extra Ordinem dignitates, mediis Sæcularium, aut aliorum, ipso facto incidant in excommunicationem, in qua si celebraverint, sciant se irregularitatis pœnam incursuros.

CAPUT III.

De Capitulo Provinciali.

1. CApitulum Provinciale celebretur de triennio in triennium loco à Patre Generali designando, ad quod Priores Conventuum cum suis Discretis conveniant, & cum eis in electione Provincialis, & aliorum Officialium habeant vocem: Provincialis cum suo Vicario, Patres benè functi officio Provincialatûs: Definitores, Secretarii, Sacræ Theologiæ Doctores, cum Professoribus actualibus, & Collega minor tam Generalis, quàm Provincialis. Porrò Scriba Capituli de gremio ipsius Capituli;

aut

aut aliquis ex Conventualibus à Præsidente omnibus Capitularibus proponatur, quibus consentientibus, accipiat à Præsidente benedictionem præmisso juramento coram imagine Crucifixi de secreto servando, sub formula pro Secretariis præscripta.

2. Si Provincialis Provinciale Capitulum ob nimis diuturnum, vel habitualem morbum indicere, aut Provinciam gubernare non possit, deficiente etiam ipsius Vicario; primus Definitor Provincialis eo ipso sit Vicarius Provincialis, & regimen Provinciæ assumat; cessante autem morbo, Provincialis, aut ejus Vicarius ad Provinciæ regimen revertatur. Cætera omnia, ne eadem repetamus, præter ea, quæ sunt propria Capituli Generalis, à Capitularibus Provinciæ servanda erunt; item quæ de Capitulis Generalibus, ejus vocalibus, informationibus assumendis, & personis eligendis, infra ordinabuntur.

CAPUT IV.

De Electione Provincialis, Definitorum, & Discreti Provinciæ, ac aliorum Officialium.

1. IN Capitulo Provinciali eligantur primo loco Provincialis, secundo Vicarius, & Definitores. Tertio Discretus Provinciæ; in eoque agatur de negotiis communibus Ordinis, & Provinciæ, & quæ per majorem partem vocalium fuerint determinata, & approbata, per eundem Discretum Provinciæ ad Capitulum Generale transmittantur, à Secretario ejusdem Capituli Provincialis subscripta. Quarto denique in Capitulo Provinciali, Priores, Conventuum Suppriores, & alii officiales, de quibus infra, eligendi sunt; electiones porrò Priorum, non autem reliquorum Officialium fiant per vota secreta Definitorii; & ne eadem sæpius repetantur, servari jubemus omnia præter ea, quæ sunt propria electionis Patris Generalis, dicenda infra de electione ejusdem Patris Generalis.

2. Omnes Provinciales electionis suæ confirmationem intra tres menses à Reverendissimo Patre Generali, nisi fuerit præsens electioni erunt adstricti petere, quod si quis ultra trimestre neglexerit, sciat se officio suo legitimè fungi non posse; non tamen exofficio suo deponi debet, nisi priùs à Reverendissimo licentia in scriptis obtentâ, quam si Provincia urgere neglexerit, beneficio liberæ electionis ipso facto privatur. In quo casu accedente contumaciâ tota authoritas Patris Provincialis in Vicarium ejusdem devolvatur.

3. Quod autem attinet ad reelectiones Provincialium, & aliorum Officialium, licet Pater Generalis exacto sexennio sine Sedis Apostolicæ dispensatione reeligi non possit; Provincialis tamen, & alii Officiales si benè officio functi fuerint reeligi poterunt, sed Provinciales tertiò reeligi non possunt. Cum reeligitur Provincialis, Vicarii, & aliorum Officialium, novæ fiant electiones.

4. In Capitulis triennalibus, & Congregationibus intermediis, ubi de Generalis, aut Provincialium electionibus non agitur, habeatur scrutinium circa profectum, aut defectum locorum, ac personarum, circa media ad maturè obviandum succrescentibus malis, uti & circa universa, quæ aliàs tempore electionum commodè tractari non possunt. Omnia autem ea cum diligentia, & zelo, quæ regula & statuta præscribunt inibi tractanda erunt, ut absentium quoque animi fratrum piis devotæ Congregationis documentis ad bonum incitentur. Ubi cavendum maximè ne immoderati sumptus pro cibo, aut potu impendantur, sed inquantùm exigit religiosa paupertas.

5. In fine hujus Capituli erit unica Sessio, in absentia Patris Provincialis, de cujus vita fiet inquisitio, ad cujus secretum omnes tenebuntur sub pæna infra posita, contra requirentes nomina accusatorum, quæ à Vicario, & Definitoribus subscribetur.

CA-

CAPUT V.

De Electione Discretorum Conventualium.

1. IN omnibus Conventibus nostris prævia intimatione Capituli Provincialis fiat electio Discreti Conventûs pro dicto Capitulo Provinciali, pro qua Superior Conventûs ad minùs octo dies ante discessum, locum competentem Fratribus assignabit, ut cum solo respectu ad Deum, & bonum Ordinis ibi omnia peragant, eos admonebit, publicatâ pœnâ gravioris culpæ in Authores dissensionum. Insuper declarabit inhabiles pro electione activa, aut passiva. Et quidem pro passiva præcisè ab electione rejicientur omnes otio dediti, ordinariè silentium frangentes, vel aliquo graviori vitio laborantes; dummodò priùs in quinque Capitulis Hebdomadalibus fuerint per illum annum moniti, nec emendati.

2. Sequenti ergo die Presbyteri legitimè non impediti Missas celebrent, Diaconi, & Subdiaconi coronas pro bono communi recitent. Tum Supprior per sonum Campanæ convocet omnes Vocales ad locum electionis, ubi exclusis Clericis, & illis omnibus, qui aliàs habent vocem in Capitulo Provinciali, dictoque *Benedicite*, brevem habeat Sermonem de bono Ordinis promovendo, ac idoneo, fidelique Discreto eligendo. Post præmisso Hymno, *Veni Creator Spiritus*, qui alternatim dicatur. *Mentes tuorum visita, Imple superna gratia, Quæ tu creasti pectora.*

Qui diceris Paraclytus, Altissimi donum Dei, Fons vivus, ignis, charitas, & Spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, Digitus Paternæ dexteræ, Tu ritè promissum patris, Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus: Infirma nostri corporis, Virtute firmans perpeti.

Hostem

Hostem repellas longiùs, Pacemque dones protinus: Ductore sic te prævio vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium: Teque utriusque Spiritum credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria, & Filio, qui à mortuis surrexit, ac Paraclyto, in sæculorum sæcula. ℟. *Amen.*

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Dictâ oratione nominet cum consensu Fratrum tres Scrutatores, qui acceptâ benedictione, jurent tacto pectore coram Imagine Crucifixi de officio eis impositio fideliter adimplendo, & resideant in loco separato à Patribus, tum designet Scribam, qui etiam coram Christi Imagine juramentum præstabit de secreto servando, ita ut nulli aperiat, quem Electores nominaverint, vel non nominaverint, & postmodùm legat requisita eligendorum Cap. 2. de electione num. 4. 5. & 6. deinde unicuique ex vocalibus tres schedulas eligendorum, quos ipse vocalis nominaverit, tradat, ex quibus unam, duabus aliis schedulis laceratis in præsentia scrutatorum, in vas præparatum ante ipsos scrutatores ponat, qui computatis vocalibus, ac chartulis suffragia data inter se conferant, & in quem plura vota concurrent, ille per seniorem scrutatorem pronunciabitur formâ infrà positâ de electione Vicarii Cap. 10. num. 1.

3. Electo Discreto Pater Supprior jubeat legi publicè officium ipsius ex Statutis Par. 3. Cap. 11. posteà eum in suo loco constituat, ut suo officio fungatur.

4. Si alicui electioni, vel consultationi, Discretii temerè non interfuerint, aut secretum illius convocationis, quoad omnia dicta, & proposita non servaverint, quorumcumque sint Conventuum illius Provinciæ, in Capitulo Provinciali præsenti, & si modò lateant, in futuro accusentur, ut voce activâ, vel passivâ priventur ad triennium.

5. Sicut Suppriores pro Discretis Conventuum, sic Vicarii Provinciarum nullo modo poterunt eligi pro Discretis Provinciarum.

CAPUT VI.

De Discessu Priorum ad Capitulum.

1. IN virtute Sanctæ Obedientiæ statuimus, ut quilibet Superior discedens ad Capitulum omnia victualia, & alia bona, quæ distractionis incommodum facilè pati valerent, teneatur cum Suppriore, Provisore, Dispensatore, & Depositore, ubi hi commodè haberi possunt, vel saltem cum duobus Patribus senioribus, fide oculata contueri disponendo quantas expensas, & ex quibus secum ferat pro Capitulo. Insuper unum registrum pecuniæ domi relictæ, aliorumque victualium secum portet pro Capitulo, Successori suo si necesse fuerit offerendum; alterum penes Suppriorem domi relinquat.

2. Discedente Priore ad Capitulum, non audeat Supprior quidquam de rebus Ecclesiæ, aut Claustri alicui donare, aut lautiùs Fratres solito fovere sub pœna gravioris culpæ. Imò teneatur dare rationem de expensis Priori Conventûs illius, qui posteà advenit.

3. In virtute Sanctæ Obedientiæ prohibetur ne Sacrista, aut alius Pater audeat aliquam pecuniam reservare, aut congerere, ut in absentia Prælati lautiùs Fratres sive in communi, sivè clandestinè tractentur.

CA-

CAPUT VII.

De Examine Discretorum.

1. PRIMO die Capituli absolutâ primâ solito citiùs, Prior Generalis, vel Provincialis cantabit Missam de Spiritu Sancto, cæteri Patres celebrabunt Missas diversas votivas in Patenti conscriptas, Collectis supra currentes additis de Beata Virgine Maria, & Sancto Paulo primo Eremita, reliquis Fratribus distribuentur horæ ad orandum pro felici successu Capituli.

2. Sacris finitis, omnes etiam non Capitulares ad locum Definitorii per sonum Campanæ congregentur à Patre Generali, vel Provinciali adhuc cum suis Definitoribus præsidente, tum Superior dicat. *In nomine Patris, & Filii, &c.* ℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.* ℣. *Dominus sit semper vobiscum.* ℟. *Amen.* (quæ forma semper in principiis Capitulorum usurpanda) habeatque brevem sermonem ad Fratres, ut zelent augmentum publici boni per sua consilia ad vitia resecanda, abususque ex ordine tollendos, virtutum augmentum, ædificationem exterorum. Item quo ad electionem, ac institutionem Superiorum, &c. Demùm omnibus commendet strictum silentium, Orationes, ac modestiam regularem. Post dicatur Hymnus, *Veni Creator Spiritus, &c.* ut supra Cap. 5. & post versiculos ibidem appositos locò orationis, *Deus qui corda &c.* dicatur:

Oratio.

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Subjungantur Litaniæ de omnibus Sanctis, ut supra Cap. 5. Par. 1. in quibus omittantur illi tres

versiculi supra Novitium dicendi, quibus finitis post *Pater noster*, dicantur versiculi.

℣. *Protector noster aspice Deus.*
℟. *Et respice in faciem Christi tui.*
℣. *Esto nobis Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere nos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

PRotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil Sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam, ut te Rectore, te Duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

His peractis, obitus Fratrum nostrorum, & Benefactorum in communi recitentur, & posteà incontinenti legatur Psalmus:

*DE Profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.*
*Fiant aures tuæ intendentes: * in vocem deprecationis meæ.*
*Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?*
*Quia apud te propitiatio est: * & propter legem tuam sustinui te Domine.*
*Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.*
A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.
*Quia apud Dominum misericordia: * & copiosa apud eum redemptio.*
*Et ipse redimet Israel: * ex omnibus iniquitatibus ejus.*
Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
Pater noster.
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Cre-*

℣. *Credo videre bona Domini.*
℟. *In terra viventium.*
℣. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.*
℟. *Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

ABsolve Domine animas eorum ab omni vinculo delictorum, ut in Resurrectionis gloria inter Sanctos, & electos resuscitati respirent.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus immensam clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

FIdelium Deus omnium Conditor, & Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis Domine.*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

3. Hic prælegantur publicè impedimenta electionis supradicta Cap. 2. num. 4. ac solo Generali, aut Provinciali cum Vicario, ac Definitoribus remanente instituatur examen de idoneitate Discretorum, ac Fratrum ipsos eligentium ad exhibitionem testimonialium, quas Discreti exhibere à Supprioribus, ac Fratribus tenebuntur, & ad relationem suorum Priorum, ac Provincialium; viciſſimque fiat examen Priorum per relationem Discretorum, solùm quoad illum actum eligendi, vel tractandi de bono communi. Aliud enim examen debet institui de administratione, & regimine Claustri, ut suo loco patebit. Hoc quoque post advocatam communitatem examen subeat Vicarius, ac

Defi-

Definitores ſingillatim ex Definitorio exeuntes; ad relationem duorum Diſcretorum ſeniorum, quibus inferiores Diſcreti, ac communitas Fratrum, ſi aliquas rationabiles inſtantias in ipſos, aut alios Capitulares habeant, concredere debent.

4. Quod ſi aliqui ob defectus ſuos admitti ad actus Capitulares non poterunt, contra ipſos forma ſuſpenſionis à Capitulo, peracto examine P. Generalis, aut Provincialis, à Præſidente antequam procedatur ad tractanda negotia Ordinis, vel ad electionem, ſi quæ tunc erit neceſſaria, in præſentia omnium proferatur. *Noverint Paternitates Veſtræ Fratrem N.N. ad vocem activam, Fratrem N.N. paſſivam. Fratrem autem N.N. ad utramque eſſe judicatum inhabilem à Definitorio ob impedimentum, & defectus certos ſufficienter illi coram judicio noſtro probatos.* Iſti autem defectus debent eſſe tales, qui vel de jure communi, vel particulari noſtro hujuſmodi pœnam mereantur, contra quos Fratres ſi facti enormitas requiret præter hanc ſuſpenſionem, aliàs pœnas in aliud tempus Capitulum reſervet.

5. Quando autem aliquem ex Diſcretis in via mori, vel ob canonicum impedimentum repudiari à Definitorio contigerit. In tali caſu Definitorium articulos illius Conventûs ab illo accipiet, & uni idoneo, ac diſcreto Presbytero illius Congregationis Capitularis demandabit.

CAPUT VIII.

De Examine Patris Generalis, aut Provincialis.

1. His, ut præmiſſum eſt, ritè peractis (ſi tempus patiatur, aliàs die ſequenti poſt cantatum à Vicario Sacrum de Beata Virgine) Prior Generalis, vel Provincialis, ſi in illo Capitulo ejus officium expiret, cum regeſtis dati, & accepti, ac cum depoſitione ſigilli, Prælationem ſuam coram Vicario, aut Definitoribus, ac Provincialibus, totaque Communitate in hæc verba reſignet.

Reverende Pater. In manibus veſtris reſigno, & depono officium Generalatûs, vel Provincialatûs, quod mihi ſacer Ordo, vel Provincia contulit, & ſimul me reddo culpabilem de negligentiis commiſſis, ſtatimque exeat ſociatus duobus Definitoribus, ac Prioribus.

2. In ejus abſentia perlegantur publicè ſequentia puncta. Exceſſus negligentiarum pro quibus debet reprehendi, & puniri Pater Generalis, vel Provincialis, hi ſunt: ſi Dei timore poſtpoſito inordinatè, & irreligiosè vivendo, Conſtitutiones, aut laudabiles ordinationes Religionis, quaſi eas contemnendo non ſervaverit, nec eas per Ordinem, aut Provinciam fecerit obſervari. Aut in Ordine, aut Provincia aliqua Ordinis, ſchiſmata, aut diſcordias nutriêrit; aut conſpirationes fecerit, vel per ſe, vel per alium arte, vel ingenio operatus fuerit, ut ad Generalatûs, vel Provincialatûs officium aſſumeretur, vel etiam probatos, & manifeſtos exceſſus Fratrum ſecundùm Ordinis Inſtituta non correxerit, vel fortè ſi aliquem, quaſi publicâ infamiâ laborantem in Priorem Conventualem ex certa ſcientia præfecerit; vel ſi munera alicujus momenti, vel conſiderabilis pretii, præter eſculenta, & poculenta moderata ab aliquo Priore, Fratre, aut Conventu aliquo noſtri Ordinis per ſe, vel interpoſitam perſonam receperit, vel recipi fecerit; vel inter Fratres noſtros, aut Sæculares publicâ hujuſmodi vitii laboret infamiâ, vel de frequentia alicujus inhoneſti loci, ſeu familiaritate inhoneſtæ perſonæ apud Fratres, aut Sæculares, vel de crimine cujuſcumque carnalis vitii Canonicè fuerit convictus.

3. Egreſſis omnibus Præſidens cum Definitorio à ſingulis vocalibus, ſingillatim inquirat de vita, & adminiſtratione officii ſui, ut quiſque juxta conſcientiæ puritatem pro informatione dicat, ſi quid habuerit contra Generalem, vel Provincialem, aliàs ipſius denunciatio poſt non audietur, quin graviter punietur.

4. Factâ inquiſitione, diſcuſsâque veritate, Prior Generalis, vel Provincialis in medium Fratrum revocetur, ac det ratio-

tionem administrationis suæ, & si illius mores probati fuerint commendetur eique gratiæ agantur, ut Successores ad labores perferendos animentur. Quod si aliquid reprehensione dignum cernatur, tunc Præses pro sua prudentia, vel publicè, vel privatim ipsi ex consilio Definitorum objiciat. Defectibus autem ipsum condemnantibus, qui supportari nequeant, majore parte Definitorii concludente, ipsum privatione vocis, vel activæ, vel passivæ, vel utriusque servatâ formâ de Discretis afficiat, in reliquo pœnas autem nullas illi tunc imponat, sed futuro Generali, vel Provinciali pro ratione demeritorum reservet.

5. In decessu autem Patris Generalis, vel Provincialis ante Capitulum, examini eidem Vicarius Generalis, vel Provincialis in Definitorio subjacebit, qui si vocis privationem mereatur, denuncietur à primo Definitore, qui in illo casu, vel etiam alter præsidebit ad electionem novi Generalis, vel Provinciallis.

6. Antequam Capitulares ad electionem accedant publicâ voce ab omnibus Præsidens inquirat sub forma mandati de ambientibus, aut factiones circa electionem struentibus, talesque ut supra dictum est Cap. 1. num. 7. puniat; eadem pariformiter serventur in Capitulo Provinciali, in eligendo novo Provinciali.

CAPUT IX.

De Modo Electionis Generalis, aut Provincialis.

1. SUBLATIS omnibus impedimentis ipsam electionem concernentibus, ipsisque vocalibus in regestrum redactis, post trinum sonum Campanæ ad locum deputatum pro electione conveniant, ubi ponatur mensa ad latus Altaris Evangelii cum vase (quod tamen non sit calix sacer) aliisque pro suffragiorum receptione, & computatione requisitis. Tum Pater Vicarius, vel alter

alter Præsidens habebit ad electores sermonem, sive per se, sive per alium idoneum Patrem de eligendo digniori Superiore, deinde præmittatur Hymnus: *Veni Creator Spiritus &c.* ut supra Cap. 5. quo finito dicatur Psalmus. *Qui regis Israel, intende:* * & recitetur alternatim: *Qui deducis velut ovem Joseph.*

Qui sedes super Cherubim, * *manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.*

Excita potentiam tuam, * *& veni, ut salvos facias nos.*

Deus converte nos: * *& ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

Domine Deus virtutum, * *quousque irasceris super orationem servi tui?*

Cibabis nos pane lachrymarum: * *& potum dabis nobis in lachrymis in mensura.*

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: * *& inimici nostri subsannaverunt nos.*

Deus virtutum converte nos: * *& ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

Vineam de Ægypto transtulisti: * *ejecisti gentes, & plantasti eam.*

Dux itineris fuisti in conspectu ejus: * *plantasti radices ejus, & implevit terram.*

Operuit montes umbra ejus: * *& arbusta ejus cedros Dei.*

Extendit palmites suos usque ad mare: * *& usque ad flumen propagines ejus.*

Ut quid destruxisti maceriam ejus: * *& vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?*

Exterminavit eam Aper de Silva: * *& singularis ferus depastus est eam.*

Deus virtutum convertere: * *respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam.*

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: * *& super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Incensa igni, & suffosa: * *ab increpatione vultûs tui peribunt.*

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: * *& super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Et non discedimus à te vivificabis nos: * *& nomen tuum invocabimus.*

Domine Deus virtutum converte nos: * *& ostende faciem tuam, & salvi erimus. Gloria Patri &c. Sicut erat &c.*

Deinde ſubjungatur Hymnus.

AVe Maris Stella, Dei Mater alma, atque ſemper Virgo, felix Cæli porta.

Sumens illud ave Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Hævæ nomen.

Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.

Virgo ſingularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites fac, & caſtos.

Vitam preſta puram, iter para tutum, ut videntes Jeſun, ſemper collætemur.

Sit laus Deo Patri, Summo Chriſto decus, Spiritui Sancto, tribus honor unus.

Quo finito dicat Præſidens: *Kyrie eleiſon.* ℟. *Chriſte eleiſon.* *Kyrie eleiſon.*

Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

ACtiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.

FAmulorum tuorum quæſumus Domine delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Tum

2. Tum publicè pronuncientur vocales examinati, & admiſſi ad electionem, quibus, reliquis omnibus excluſis Præſidens legat ſequentia verba: *In virtute Spiritûs Sancti, & obedientiæ ſanctæ cum præcepto formali, & expreſſo mandamus, & præcipimus, ut omnes Fratres, qui ad ipſam electionem accedunt Deum præ oculis habeant, nec eorum aliquis per inductiones, vel rogatum alterius cujuſvis, vel pretii dationem, vel promiſſionem, ſeu minarum impoſitionem, aut proprii commodi conſecutionem eligendum nominet, aliàs ipſo facto excommunicationem incurrat; ſed ſecundùm quod Spiritus Sanctus unicuique inſpiraverit ſecluſis omnibus affectibus humanis, ac quibuſcumque inordinatis reſpectibus eligat eum, quem ſenſerit in Domino dignum, & idoneum ad hoc onus perferendum, qui per exempla bonæ vitæ trahat ſubditos ad bonum, ſciatque, & velit ſaluti gregis ſibi commiſſi inſervire. Abſentes autem à præſenti Capitulo Provinciales, vel alii voce gaudentes ex contumacia, nec pro ſe Procuratores mittentes ipſo facto excommunicationem latæ ſententiæ incurrant, quam trinâ Canonicâ monitione præmiſsâ præſenti Conſtitutione ex nunc prout ex tunc licet inviti in ipſos ferimus.*

3. Hiſcè præmiſſis Præſidens, proponat tres ex diverſis Provinciis ſcrutatores pro electione Patris Generalis, qui egrediantur ex Capitulo proponendi poſteà, ut approbentur à majori parte Capitularium. Approbati autem jurent ſingillatim publicè coram Imagine Crucifixi in hunc modum: *Ego Frater N. juro coram Deo, quod ſummam fidem, ac veritatem in diſcuſſione, & collatione votorum ſervabo, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Paſſio*; Deinde eos confirmet Præſidens in hæc verba: *Et ego Præſidens præſentis Capituli, auctoritate quâ fungor confirmo vos in ſcrutatores electionis de novo Generali, vel Provinciali, in præſenti Capitulo eligendo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* ℟. *Amen.*

4. His ſuper addatur Scriba, qui toti Capitulo proponatur ſi placuerit, deinde juret de ſervando ſecreto ſub formula pro Secretariis præſcripta, & acceptâ benedictione primus menſæ aſſideat, ac unicuique Capitularium tres eligendos, quos ipſe Capitularis voluerit in ſuperficie trium chartularum

complicatarum ſcribat, quas ſibi tempeſtivè Electores in Cellis præparabunt.

5. Recedente Scribâ primò ipſi Scrutatores aliis duabus chartulis laceratis, unam nomen eligendi continentem, qui ſibi dignior videbitur, in vas præparatum immittant, præmiſſo juramento, cujus forma in charta deſcripta præſto ſit in hunc modum: *Ego Frater N. eligo in Patrem Generalem, vel Provincialem, quem mihi conſcientia dictat magis idoneum, & ſufficientem, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Paſſio.* Cæteri ſubſequantur vocati ex Cathalogo à ſeniore Scrutatore.

6. Quod ſi aliquis vocalium præ infirmitate ad locum electionis venire non poſſit, adeat illum Scriba cum Scrutatoribus, qui votum ſuum modo præſcripto in urnam mittat.

7. Deinde videant Scrutatores, an numerus votorum ſuperet numerum eligentium, aliàs omnia vota comburantur, & nova electio fiat habito reſpectu ad factum juramentum.

8. Poſt diligentem collationem votorum is in Priorem Generalem, vel Provincialem promulgetur, in quem major pars ſupra dimidium Capitularium convenit, formâque infra poſitâ per primum Scrutatorem pronuncietur, priùs omnibus chartulis publicè combuſtis.

9. Si verò vota in diverſas perſonas diſtrahantur „ ita ut in nullum major pars Capituli conveniat, electio ſemel, & iterùm repetatur, quod ſi etiam tunc nullus habeat majorem partem ſuffragiorum, tunc primi duo habentes plura ſuffragia, per primum Scrutatorem promulgentur alta voce: *Hi ſunt Reverendi Patres, duo, in quos ex vocalibus plures conſenſerunt, ſcilicet Reverendus Pater N. N. & Reverendus Pater N. N. ex his duobus poteſtis unum eligere in Generalem totius Ordinis, vel Provincialem hujus Provinciæ.* Unde præmiſſo Pſalmo. *Qui regis Iſrael intende* &c. ut ſupra. Scriba iterùm menſæ aſſideat, illoſque pronunciatos in duabus chartulis ſingulis Capitularibus (exceptis illis duobus, ac in loco ſeparato expectantibus) conſcribat, ex quibus Capitulares unam in vas, habito reſpectu ad præmiſſum juramentum immittant, alterâ laceratâ, demùm votis computatis: Is pro electo

electo promulgetur, in quem major pars ſuffragiorum convenerit.

10. Si autem paria habuerint vota, Senior profeſſione cenſeatur electus Generalis, vel Provincialis, alter autem erit Vicarius, nec erit procedendum ad electionem Vicarii.

11. Forma pronunciationis electi Generalis, vel Provincialis. *Ego Frater N. N. invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ facto ſcrutinio ex plena collatione inter nos habita invenimus majorem partem Capituli noſtri conſenſiſſe, & conſentire in Fratrem N. N. de tali loco, ideò vice meâ, & omnium veſtrum, ac poteſtate per vos mihi conceſſâ ipſum Fratrem N. N. de tali loco eligo, & electum pronuncio in Priorem noſtrum Generalem, vel Provincialem.* Et poſtquam ſic canonicè electus & pronunciatus fuerit, *Te Deum laudamus*, ut ſupra Cap. 24. ab omnibus cantetur, poſt dicat Præſidens.

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus perpetuâ mentis, & corporis ſanitate gaudere: & Gloriosâ Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. *Amen.*

12. Tum electum cum Patribus in ſellam deducat, ac legi publicè faciat præeminentiam, & officium illius, datoque libro Conſtitutionum cum Regula, ac ſigillis, reverentiam faciat, poſteà omnes Patres, ac Fratres etiam Converſi eidem præſtent flexis genibus, cum oſculo manûs, Sanctam obedientiam.

13. Ge-

13. Generalis præfato modo electus curam omnium animarum Fratrum totius Ordinis plenè habet, & liberè gerit, habetque potestatem transferendi Fratres de Provincia in Provinciam, de loco in locum habitâ si opus fuerit, informatione ab aliis Superioribus, & cunctos auctoritate propriâ ligare potest, & absolvere, prout à Sede Apostolica Generalibus Ordinis est concessum, ut patet in Bullis Ordinis; eadem similiter observentur in Provinciali Capitulo, quo ad Provincialem.

CAPUT X.

De Electione Vice Generalis, Vice Provincialis, Definitorum, & Collegæ, seu Secretarii.

1. Electio Vicarii Generalis, vel Provincialis, fiet Præsidente novo Generali, ab iisdem Capitularibus, modo, quo supra, præterquam quod locò formalis juramenti Electores tangent manu pectus coram Imagine Crucifixi flectentes genua (quod etiam fieri poterit in loco capitulari) & quod pro electione Definitorum octo eligendi scribentur, electus Vicarius per plura vota hac formâ pronunciabitur. *Ego Frater N. N. invocatâ Sancti Spiritûs gratiâ, quia facto scrutinio ex plena collatione inter nos habita invenimus plura vota nostri Capituli convenisse in Fratrem N. N. de tali loco, ideò vice meâ, & omnium vestrûm, ac potestate per vos mihi concessâ ipsum Fratrem N. N. de tali loco eligo, & electum pronuncio in Vicarium Generalem, vel Provincialem*; electo Vicario legatur ejus officium, ex Constitutionibus, qui juramentum emittat super Evangelia in hæc verba: *Ego Frater N. N. juro me servaturum justitiam, & secretum in negotiis Ordinis nostri. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.* Post confirmetur per Præ-

sidentem taliter. *Ego Frater N. N. Prior Generalis auctoritate nostri Ordinis: (vel si fuerit delegatus in Capitulo Provinciali dicat:) auctoritate à Reverendissimo Patre Generali pro hoc actu specialiter mihi delegata, quâ hac in parte fungor, confirmo te in Vicarium Generalem totius Ordinis nostri, vel Vicarium Provincialem hujus Provinciæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti* &c.

2. Idem modus pronunciationis, juramenti, & confirmationis, servabitur, quoad Definitores post prælectum ipsis officium; in locum Definitoris absentis, alter per Definitorium substituatur pro illo actu, si proximus accedens non adfuerit; in paritate votorum senior professione præferendus. Electio Collegæ, seu Secretarii Generalis, aut Provincialis, ab ipsomet dependet Generali, aut Provinciali, cum consensu Definitorum, aliorumque Capitularium, qui juramentum, priùs auditâ informatione sui officii, præstabit super Evangelia in hæc verba: *Ego Frater N. N. juro quod secundùm conscientiam secretum servabo eorum, quæ audivero in Definitorio, vel Visitationibus, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

CAPUT XI.

De Agendis in Definitorio Generali, vel Provinciali.

1. Absoluta electione Prioris Generalis, Vicarii Generalis, & Definitorum Generalium, advocandi sunt in primis Patres Provinciales singillatim, ut reddant rationem de profectu, vel defectu Provinciarum, & contra abusus irrepentes in Ordinem, quibus ipsi obviare nequeunt, consilium requirant; Posteà audiantur Discreti Provinciarum cum postulatis, ac articulis pro bono communi proponendis. Cum prædictis venerabile Definitorium de propositis eorum singillatim conferet,

feret, auditisque eorum rationibus post præmissam in secreto seriam deliberationem, ad requisita eorum, dabit Provinciis responsa in patenti obsignata sigillo Patris Generalis, ac subscriptionibus Patrum Ordinis, Vicarii, & Definitorum, simulque litteras mittet responsorias ad litteras Vicariorum, ac Definitorum Provincialium; Causis autem vel negotiis privatis Provinciarum, Generalis non se immiscеat, nisi pro meliore informatione capienda.

2. Hìc summoperè cavendum erit, ne novæ Constitutiones sine urgenti causa multiplicentur, sed ex regula, & antiquis Constitutionibus desumantur ea, per quæ causæ defectuum irrepentium ceù per media opportuna tollantur, & pro debita observantia subministrentur.

3. Deinde ad examen Priorum legat Secretarius coram omnibus Capitularibus sequentia. *Excessus negligentiarum, pro quibus aliquis Priorum reprehendi, puniri, vel absolvī, seu ab officio suo deponi debeat respectivè secundùm judicium, & sententiam Definitorii sunt isti.* Si Infirmos sui Conventûs per se, vel per Fratres suos idoneos visitare notabiliter neglexerit, vel si eis necessaria sufficientia per Fratrem sibi ad ministerium deputatum, ministrari non fecerit, vel si eos frequenter per se, vel per discretum Fratrem suum Presbyterum ad confessionem faciendam non admonuerit, seu exhortatus non fuerit, aut Sacramenta Ecclesiastica cum magna diligentia, ac studio administrare, vel administrari facere non curaverit; si ad Matutinum ex consuetudine rarò surgit; si ad Capitulum faciendum rarus. Si mercantiis, aut quæstibus illicitis, vel propriis intendit. Si rarò celebrat non habens aliquod canonicum impedimentum. Si Fratribus ex consuetudine minatur, & verba eis opprobriosa, & contumeliosa dicit. Si de nocte colloquiis inutilibus ex consuetudine vacat. Si probabiliter etiam inveniatur, quod per se, vel per alium procuret, ut ad officium alicujus Prioratûs eligatur, vel ut in eodem per longiora tempora permanere possit: si probabiliter inveniatur, quod alicui habenti vocem in aliqua electione suaserit prece, vel pretio, aliquo pacto, vel promissione, ut vocem suam huic, vel illi det. Nam in

hoc delinquentes, ultra pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, sint ad officia, & ad dignitates prædictas, ineligibiles; vel si pro illius confirmatione litteræ fuerint scriptæ ab extraneis etiam quacumque dignitate fulgentibus, vel non recipiantur, vel si id fieri nequeat ob personæ scribentis excellentiam, receptæ non aperiantur, nisi finitis Capitulis sive Conventualibus, sive Provincialibus, aut Generalibus; & qui aliunde pro certo sciunt pro aliquo Religioso similia officia fuisse facta, vel scriptas litteras ad effectus prædictos, eundem Religiosum eligere non possint. Si inter Sæculares est infamis, & hoc per Fratres bonæ conscientiæ, & vitæ laudabilis saltem per duos probari possit. Si communem vitam in Conventu suo in cibo, & potu non servaverit. Si bona Novitii nondum professi exposuerit, vel vendiderit. Si subditum suum de manifesto excessu secundùm Ordinis Instituta non correxerit. Excessum autem manifestum intelligimus; notoriam quamcumque transgressionem Regulæ, aut Constitutionum nostri Ordinis, per quam Fratres, aut sæculares scandalizari possint.

4. His lectis omnes Priores resignent flexis genibus officia sua in manibus Generalis, vel alterius Præsidentis, ac depositis sigillis omnes egrediantur, remanente primo Discreto, qui de vita, & moribus sui Prioris, ac observantiâ regulari per ipsum promota, vel neglecta det fidelem informationem Definitorio, & præterea testimoniales litteras exhibeat illius communitatis subscriptas à Suppriore, ac tribus, vel duobus Patribus, & occlusas datas ad Definitorium de administratione Prioris in temporalibus, & spiritualibus, tum postulata Fratrum rationabilia, querelas, & articulos commune bonum spectantes deponat, simulque litteras, Fratrum, aut sæcularium ad Definitorium missas.

5. His trutinatis advocetur Prior, ut sincerè informet Patrem Generalem, vel Provincialem de vita, & qualitatibus Fratrum (quem Discretus præstolabitur ante Definitorium) præsentetque regesta dati, & accepti, ac præsentis depositi, tam in pecunia, quàm aliis Claustri, & Templi proventibus,

ac cum hiſcè, cum Diſcreto ſuo remittatur ad reddendam rationem coram Patribus Calculatoribus.

6. Ad quam exigendam tres Patres fideles, & induſtrii ex clauſtralibus, vel vocalibus deputentur à Definitorio, qui de computatione facta per Diſcretum mittent in ſcriptis inſtructionem Definitorio. Idem examen, & tractatus cum reliquis Prioribus ordine ſuo inſtaurabitur.

7. Cenſurâ peractâ, vocentur omnes ſingillatim Patres Priores ad depoſita contra ſe reſponſuri, ac de dati, & accepti (ſi neceſſe fuerit) rationibus in præſentia Diſcretorum ſuorum examinandi, demùm pro meritis, vel demeritis juſta ex ſententia Definitorii reportent. In demeritis autem ubi enormitas delicti exiget, non tantùm depoſitio ex officio, ſed etiam carceris, aut alia pæna inferatur.

8. Poſtulata autem Diſcretorum, aliaque negotia Ordinis, aut ſæcularium, quæ extra Capitulum expediri nequeunt, præſentibus adhuc vocalibus tractentur, & ſi totam Provinciam afficiant, præſentibus etiam ipſis Prioribus trutinentur, quorum determinatio ad plura ſuffragia Definitorii, in abſentia illorum facienda eſt, cui omninò ſtandum erit.

9. Confectis negotiis omnibus Capituli, eligantur à Venerabili Definitorio per vota ſecreta Priores Conventuum; Suppriores autem, examinatores pro inſtituendis Confeſſariis, & pro mittendis ad ordines ſacros, Novitiorum Magiſtri, Profeſſores ſtudiorum, Prædicatores, Depoſitores, Proviſores, & Diſpenſatores, ubi commodè hi tres haberi poſſunt: à Præſidente cum majoris partis Definitorii conſenſu inſtituantur. Alii autem minores officiales utpote Confeſſarii Patres, Rectores Chori, Sacriſtæ, Bibliothecarii, & alii ab ipſis Superioribus localibus deſignentur.

10. In Capitulo Generali Pater Generalis cum aſſenſu majoris ſaltem partis Definitorii deſignet ſex Patres ex gravioribus Religionis, prout habet Decretum Sacræ Congregationis Concilii felicis recordationis Urbani Papæ VIII. juſſu Anno 1624. die 21. Septembris editum. De quorum conſilio, & aſſenſu Pa-

Pater Generalis, incorrigibiles ex Religione ejiciat, modo ibidem præſcripto.

11. Omnes autem iſti tractatus fiant in timore Dei ſine ullis jurgiis, aut diſſenſionibus, quæ ſi exortæ fuerint, ſtatim per Definitorium ſopiantur, contra authores earum rigorosè animadvertatur. Sopiantur autem ſimpliciter, ſine Juris ſolemnitatibus, quas Ordo noſter non admittit; imò Prælatus poteſt partes, per excommunicationem compellere ad concordiam, ad quam ex regula tenentur. Eadem ſervatâ proportione, fiant in Capitulo Provinciali.

CAPUT XII.

De Concluſione Capituli Generalis, vel Provincialis.

1. ANTEQUAM Capitulum diſſolvatur, Prior Generalis, vel alius Præſidens, iterùm quærat de ambitioſis, ac pænam ut ſupra exequatur. Poſt habebit ſermonem ad omnes, etiam non Capitulares, de diſciplina Monaſtica, ac præcipuè de ædificatione, ut per exempla vitæ probatæ Fratrum, ad Ordinem pio affectu trahantur.

2. Si quid autem fuerit ſtatutum, pro faciliori Conſtitutionum, aut Regulæ obſervantia, in præſentia omnium legat Secretarius.

3. Pænas etiam condemnatorum, vel abſolutionem pœnitentiâ functorum declaret.

4. Pronuncietur ſtatutum contra revelantes ſecreta Ordinis, aut contra Inquiſitores ſuorum accuſatorum, cujus tenor ſequitur. *In virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus firmiter obſervari, ne quis ſecretum Capituli, ſeu Domûs noſtræ per ſe, vel per alium verbo, aut ſcripto, ſeu quovis alio modo foris audeat extraneis aliquibus revelare; Si quis autem ex deliberatione*

ratione secùs fecerit, ipso facto sit excommunicatus. Secretum autem Capituli, seu domûs nostræ dicimus omne id, unde Ordo noster, aut domus aliqua diffamari, vel turbari possit. Extraneos autem intelligimus omnes, quotquot non sunt nostræ professionis, cujuscumque statûs, conditionis, vel dignitatis existant.

5. Et quia nonnullos Fratrum nostrorum tam imbecilles, impatientesque cognovimus, ad sufferendas correctiones, ex justis etiam accusationibus, per Visitatores, aut ipsorum Superiores immediatos imponendas, idcircò sub eadem excommunicationis pœna contra revelantes secreta, decernimus, ut non solùm extraneis, vel à nostra professione alienis: verùm etiam Fratribus nostræ professionis, in quorum absentia accusationes fiunt, vel etiam correctiones, imò nec Fratribus ejusdem Domûs, Prælati, nec Subditi Prælatis ipsorum, nec Subditi sibi invicem, seu mutuò hujusmodi accusationes indicare, seu manifestare, aut quovis modo prodere præsumant.

6. Hìc etiam casus reservati juxta Constitutionem Clementis VIII. à Patre Generali, vel Præsidente promulgabuntur.

7. Legantur deinde nomina insigniorum Benefactorum Ordinis illius anni. Pro quibus sequens Statutum inculcetur. *In virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus firmiter observamdum, quatenus pro Sanctissimo Patre Domino nostro N. Apostolico principaliter, posteà pro Eminentissimis Cardinalibus, & per consequens pro omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Diœcesanis, & eorum Suffraganeis. Item pro universis Religiosis omnium Ordinum in unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ existentium. Pro Domino nostro Rege Promotore, & Zelatore Ordinis nostri, & pro Regina Consorte ejusdem ac Liberis; pro Imperatore, Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, & pro Patronis omnium domorum nostrarum, eandem Romanæ Ecclesiæ unitatem zelantibus, quilibet Frater noster Presbyter, per Ordinem nostrum singulis annis sex Missas, tres de Sanctissima Trinitate, tres de Beata Maria Virgine cum Collectis consuetis. Item pro omnibus Benefactoribus, & Confratribus ejusdem Ordinis nostri vivis, tres Missas pro peccatis cum Collectis congruentibus. Item alias tres Mis-*

Missas pro universis Confratribus, & Benefactoribus Ordinis nostri defunctis celebrare velint. Fratres verò Clerici pro qualibet Missa legant vigintiquinque Psalmos, Fratres verò Laici centum Pater noster, & Ave Maria &c. recitare teneantur.

8. Recensèantur quoque nomina omnium Fratrum, ab ultimo Capitulo defunctorum, ut pro quolibet Fratre, in sua Provincia mortuo, tres Missas Presbyteri, pro aliarum autem Provinciarum Fratribus defunctis unam, Clerici pro qualibet Missa viginti quinque Psalmos, Converfi centum Pater noster, & Ave Maria &c. absolvant.

9. Denique legatur tabula novorum Officialium, & Fratrum ad Conventus alios mittendorum, statimque cantetur Antiphona. *Ite in Orbem universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Gloria Patri &c. Qui crediderit &c.* Post dicantur versus sequentes.

℣. *Vias tuas, Domine, demonstra eis.*
℟. *Et semitas tuas edoce eos.*
℣. *Salvos fac servos tuos.*
℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritûs Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis; Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te Rectore, te Duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, & nos indignos famulos tuos ab omni adversitate custodi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Post

10. Post subjungat Pater Generalis, vel alter Præsidens: *Adjutorium nostrum in nomine Domini &c.* Deinde omnes dicant: *Confiteor &c.* Subjungat Superior: *Misereatur &c. Indulgentiam &c. Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti descendat super vos, & maneat semper.* ℟. *Amen.* Deinde fit absolutio Generalis sub forma sequenti.

Si tenemini aliquo vinculo, aut vinculis excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, in quantum se extendunt gratiæ, & Privilegia Ordini nostro indulta, & mihi à Sede Apostolica commissa, & vobis concessa; Ego absolvo, & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & unitati fidelium. In nomine Patris, & Filii ✝, & Spiritûs Sancti. Amen.

Item eadem authoritate Ego dispenso vobiscum super irregularitate, vel irregularitatibus, si quam, vel si quas incurristis, & habilito vos executioni Ordinum Sacrorum. Item eadem authoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ, & Constitutionum, & Ordinationum Prædecessorum nostrorum: & ab omni pœnitentia oblita, vel neglecta: & ab omnibus aliis defectibus, à quibus solet in consimilibus actibus absolutio fieri: ut sitis absoluti, hìc, & ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeatisque vitam æternam. ℟. *Amen.*

Hæc absolutio etiam in visitationibus practicari debet.

CA-

CAPUT XIII.

De Capitulo Hebdomadali.

1. DECERNIMUS, ut per omnes Domos nostras omnibus feriis sextis, aut aliàs, die non impedita, Capitulum sine ulla dispensatione fiat, in quo Superior faciat exhortationem contra defectus occurrentes, aut aliquid ex libris spiritualibus legat ad Fratres, postmodùm ante omnes ipsemet genuflexus humiliet se coram Deo, Beata Virgine, ac Patribus universis generaliter se reddendo culpabilem de negligentiis, & quod sit inutilis in omnibus; alii deinde Patres, & Fratres incipiendo à Senioribus flexis genibus versùs Imaginem Crucifixi culpas suas dicant, coram Superiore, veniam ab eo petendo, & humiliter patiantur ab aliis redargui, Superior defectus proprios spontè fatentibus mitiores pœnas cuique injungat, proclamatos sive à se, sive ab aliis durius redarguere, & corripere tenebitur exprobrando eis delictum.

2. Sedentibus aliis in silentio, is solummodò loquatur, qui culpas suas, aut aliorum dicit, vel cui concessa fuerit licentia loquendi. Nullus autem murmuret, aut reclamet, aut contradicat, sed qui reos se esse cognoscunt, culpas suas humiliter sine excusatione fateantur. Proclamati flectant cum omni mansuetudine ad exemplum Christi Domini, & patienter audiant se denunciantes, dum autem à Superiore redarguuntur, humiliter objecta sibi diluant, si reos se esse non sentiunt.

3. Qui indignationem contra accusantem se gestu aliquo, aut verbo ostenderit, sequestretur à Fratribus, ut regulari, ac spirituali medicinâ indignus; Fratres proclamantes, seu proclamati non se alloquantur, sed ad ipsum Priorem tantùm verba dirigant.

4. Fratres Priorem suum de defectibus ejus in Capitulo non arguant, sed extra Capitulum per Suppriorem, aut Seniorem illum

illum monere teneantur, quem, si se non emendaverit, majori Prælato denuncient. Possunt tamen petitâ veniâ, quam Prior concedere debet in Capitulo, aliqua necessaria pro bono illius Conventûs proponere.

5. Sub fine Capituli festa colenda per septimanam, Vigilias, Quatuor tempora, dum occurrunt Anniversaria Ordinis, aliasque obligationes Conventûs dicat. Item necessitates Ecclesiæ, Ordinis, speciales Benefactores, Patrum orationibus commendabit. Insuper exercitium virtutum præcipuè illius, quam sequentis Dominicæ Evangelium innuit, injunget: demùm fit communis confessio, & absolutio pro quotidianis defectibus, pro quibus preces aliquas pro qualibet negligentiarum communium illius hebdomadæ Superior assignabit.

6. Nullus audeat impedire precibus importunis quoquomodo correctionem Fratris, aut proclamationem sub pœna, quam reus subire debet.

PARS TERTIA.

De Officialium Directione.

CAPUT PRIMUM.

De Communi Regula Superiorum.

1. QUi ad Regimen aliquod in Ordine assumitur is cum timore, ac tremore, summâque cordis humilitate suum primatum agat, memineritque paupertatis, & imbecillitatis suæ ad munus suum exercendum, ideò cum Salomone à Deo postulet sapientiam assistricem, ut in omnibus factis gloriam, & honorem Dei, pacem & augmentum Ordinis, salutem, & utilitatem Fratrum efficaciter promoveat. Deinde sciat se assumptum esse ad laborem, & sollicitudinem. Unde calleat rationes sui officii, & frequenti lectione Constitutionum tam suarum privatarum; quàm communium, aliorumque Officialium sibi subjectorum, ne temerè,

rè, & pro ſuo arbitrio res agat, novamque Ordinis faciem introducat.

2. Statutis ſibi temporibus conditiones, mores, defectus, profectuſve Fratrum, ac rerum ſibi commiſſarum diligentius conſideret, de medela, reſtauratione, augmento cogitet, conſilia aliorum, qui principiis altioris Ordinis, ſeu ſpiritualibus nituntur, participet, caveat ne ſit remiſſus in gubernando, facilis in credendo, concedendo, iraſcendo, promittendo, definiendo, diſſimulando, vel indulgendo ſuorum vitiis, ne nimium confidat, ne multùm affectet placere ipſis, privatas neceſſitudines, & familiaritates maximè cum Sæcularibus (niſi ſit in bonum Ordinis) devitet, magis amicitiam Dei, quàm favorem hominum attendendo.

3. Adminiſtrationi bonorum temporalium, ita ſe ingerat, ut ſpiritualium majorem ſemper curam habeat, animadvertens potiori Jure animas ſibi ad regimen traditas, quàm bona caduca. Undè illa ſolus (utpotè cui majora curæ debent eſſe) non adminiſtret, ſed vitando murmur, & ſuſpiciones aliorum, quæ inde ſæpiùs oriri ſolent, Diſpenſatoribus idoneis, eorum diſpoſitionem committat.

4. Ad extremum, fortitudinem animi, & conſtantiam in agendo teneat, nec ullis adverſitatibus de debito ſui muneris cedat, ſed leges ſui Ordinis ſeriò mandet executioni, ſit denique in operatione primus, & præcipuus, vitæ probatæ viam aliis, ſalubriter vivendo determinet. Pia ſiquidem, & ſtudioſa opera Prælati, probataque exempla in ipſo longè magis ſubjectos ad vitam religiosè ducendam, quàm imperia ſua, & rigida mandata provocant, & cogunt.

CA-

CAPUT II.

De Auctoritate Prioris Generalis.

1. AUCTORITAS dicti Prioris Generalis ex vi ipſius electionis, & promulgationis extenditur in omnia, & ſingula membra Ordinis, puta Provincias, Conventus, & perſonas cujuſcumque conditionis, & dignitatis fuerint cum plena poteſtate regendi, & gubernandi totum Ordinem in ſpiritualibus, & temporalibus, ex conſilio Definitorii Generalis independenter à quopiam alio, idque ex ſpeciali gratia felicis recordationis Joannis XXII. Gregorii XI. Eugenii IV. Julii II. Clementis VI. Urbani V. & aliorum Summorum Pontificum prout in Bullis eorum plenius continetur.

Poſt electionem ipſius ad ejus auctoritatem pertinet, præeſſe Capitulo Generali, uti & Provincialibus ſive per ſe, ſive per Commiſſarios ſuos, illud in omnibus dirigendo, & curet, ut res graviores, quæ à Generali, & Definitoribus extra Capitulum definiri poſſunt magna cum deliberatione tractentur. In omni verò Seſſione Definitorii votum Prioris Generalis habet vigorem duplicis ſuffragii cum prærogativa præcedentiæ, ubi vota fuerint paria.

2. Quoniam autem curam omnium animarum gerit, de quibus eſt ſtrictam rationem redditurus, in die Judicii. Ejuſdem auctoritati incumbit Fratres non tantùm de Conventu in Conventum, ſed etiam de Provincia in Provinciam, juxta præſcripta in Conſtitutionibus Ordinis transferre, cum neceſſitas id exegerit. Imò ſi aliquos ex ſuis Fratribus in utroque homine perfectos, & inſigni virtute præditos, & ſcientiis eruditos cognoverit, tales cum conſenſu Sedis Apoſtolicæ poterit expedire, ad converſionem gentium infidelium, ſchiſmaticorum, vel hæreticorum; quoſcumque Superiores, & Officiales Ordinis, ſive per liberam electionem, ſive deſignationem ſui beneplaciti in-

 ſtitu-

ſtitutos deſtituere, & privare ſuis Officiis quocumque tempore, ſi vel inhabiles deprehendantur, vel convincantur ſufficienter de crimine, quod Ordini infamiam, vel detrimentum aliquod, aut perſonæ dedecus afferat, nec ſuperſit ulla ſpes emendationis; id tamen facere debet de conſilio Patrum Definitorum maximè dum agitur de depoſitione Vicarii Generalis, & aliorum per ſecreta ſuffragia electorum, qui omnes citati in tali caſu ad judicium ſunt vocandi, nec unquam ſententia ferenda, niſi auditis partibus, quarum ſi aliqua pro termino aſſignato non compareat, in contumaciam officio privetur, vel aliis pœnis afficiatur.

3. Et ſicut ligare poteſt omnia membra Ordinis vinculo cenſurarum, prout viderit ſalubriter unicuique expedire, ita ejuſdem poteſtatis eſt ex conceſſione felicis recordationis Bonifacii VIII. per viam communicationis cum Patribus Carthuſianis, innodatos ſolvere à quibuſcumque excommunicationis, & irregularitatis cenſuris contractis ex caſibus ſive antè, ſive poſt ingreſſum Religionis, dummodò exceſſus non ſint ita enormes, & graves, ut meritò ad Sedem Apoſtolicam ſint ablegandi, prout habetur in Bulla Alexandri II. in favorem Prioris Carthuſiæ emanata, & Ordini noſtro per felic. record. Bonifacium VIII. cum aliis Privilegiis applicata in Anno Domini 1390. approbante & confirmante Summo Pontifice Martino V. nec non Urbano VIII. 1628. Eidem Priori Generali felic. record. Urbanus V. conceſſit plenam facultatem abſolvendi, & diſpenſandi cum ſuis Fratribus in caſibus, in quibus Abbates ſuos Monachos de jure abſolvere, & cum eis diſpenſare poſſunt, Bullæ emanatæ in Anno Domini 1370. 6. Idus Decembris, Pontificatus ſui Anno primo. Prætereà felic. record. Innocentius VIII. in Anno Domini 1489. 6. Idus Octobris Pontificatus ſui Anno ſexto, ejuſdem Prioris Generalis auctoritatem ampliavit, ad decem, vel plures Priores, à Patre Generali deſignandos, ad effectum abſolutionis, & diſpenſationis cum ſuis Fratribus à quibuſcumque caſibus, & cenſuris indè provenientibus, videlicet excommunicationibus, & irregularitatibus, de quibus etiam meritò Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, exceptis tribus caſibus, homicidii volun-

voluntarii, manifeſtæ hæreſis, & Bigamiæ, quarum diſpenſatio, pertinet ad Sedem Apoſtolicam; ad extremum Paulus III. conceſſit Priori Generali facultatem abſolvendi, & diſpenſandi etiam ad homicidia voluntaria, & mutilationem membrorum, occaſione tamen bellorum in partibus Hungariæ perpetrata, ac etiam hæreſi, illa tamen, in manibus Superioris abjurata de Data in veteri Urbe ſub Annulo Piſcatoris XXIII. Septembris Anno Domini M.D.XXXVI. Pontificatus ſui ſecundo. In temporalibus bonis litteræ Generalis conceſſionales ſolummodò durante officio ipſius valebunt.

4. Reſidentia Prioris Generalis pro tempore exiſtentis, in Monaſterio Mariæ Tall Provinciæ Hungaricæ ſtabilita, & confirmata Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Anno 1721. Die 15. Decembris firma ſit & maneat.

5. Ad extremum Patres Ordinis, qui Generalatum laudabiliter geſſerunt, habebunt primum locum in Definitorio poſt Generalem, qui verò Provinciales fuerunt, habebunt primum locum poſt Vicarium Provinciæ. In Conventibus verò ſuæ Religionis primum poſt Superiores locales, ſimplices verò Prædicatores ſedebunt poſt Doctores, ac Profeſſores Theologiæ.

CAPUT III.

De Officio Prioris Generalis.

1. OFficium Prioris Generalis in tribus maximè conſiſtit. Primò, ut intendat circa ſe ipſum, ut videlicet modeſtus ſit in omnibus actibus ſuis, juſtus ſine acceptatione Perſonarum, & nonniſi auditis partibus ſententiam ferat, pudicus in moribus, & verbis, verſatus in hiſtoriis, & negotiis Ordinis, ſobrius in victu, paupertatem, & humilitatem Chriſti repræſentans, benignus, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant, ſollicitus precibus apud Deum de ſalute ſuorum, nec facilis ad privata judicia Fratrum ex ſola ſuſpicione levi, zeloſus pro

pro obſervantia Regularis diſciplinæ, ut non ſolo verbo, ſed opere, exemplo proprio doceat alios ea facere, quæ ab illis fieri deſiderat; ſit autem oſor quarumvis ſingularitatum, nec nimis auſterus, nec nimis remiſſus, nec per conniventiam, vel ſeveritatem ſinat perire, quos ſtudio, & benevolentiâ poterat aſſervare, Meditationi, & Officio Divino cum Fratribus in Choro recitando libenter interſit, zelum Ordinis gerat cum diſcretione, & prudentiâ conjunctum. Demùm ita innocens, & irreprehenſibilis ſit in vita, ut non ſolùm malo, ſed etiam ſuſpicione mali careat. Habeat autem ſemper penes ſe Regulam, Conſtitutiones, atque Privilegia Ordinis, Statuta Conciliorum, & Summorum Pontificum de Regularibus.

2. Intendat circa gregem ſibi commiſſum, ut omnes cogitationes ſuas in commodis totius Ordinis, & bono publico defigat, ut non quærat, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; ſemel ſaltem in anno, litteras ſpeciales ad omnes Provincias mittat, quibus Fratres ad vota eſſentialia, & cæremonialia Ordinis ſervanda, & ad profectum perfectionis ſedulò cohortetur, idque non ſolâ copiâ verborum, ſed etiam odore virtutum, & famâ Sanctitatis Suæ; in Provinciis ubi non eſt libera electio Provincialium, inſtituat de conſilio Definitorum Provinciales, Priores, pietate, ſcientiâ, & dexteritate agendi conſpicuos. Curet certificari per Provinciales, aut Definitores de ſtatu Provinciarum, adminùs ſemel in anno; ſimiliter de numero Fratrum intelligat, quomodo proficiant in pietate, doctrina, cultu Divino, bono exemplo, & ædificatione aliorum, qui habeant qualitates præcipuas pietatis, & ſcientiæ? Item an in omnibus Provinciis ſint ſufficientia exemplaria Conſtitutionum, quoad omnes Conventus? an ſpeciales ſui officii penes ſe habeat quiſque ex Fratribus? & an executioni leges demandentur, & quas ob cauſas, aut occaſiones fiant defectus, & abuſus, ut iis tempeſtivè occurrat? Temporibus verò ſuis Provincias, & omnes Conventus earum in perſona viſitet, ſervato modo viſitationis faciendæ. Quod ſi infirmitas gravis, vel aliqua negotia Ordinis magni momenti non permittant eum ad aliquas Provincias deſcendere, committat hoc opus perficiendum Vicario Generali,

li, adjuncto ei uno ex Definitoribus; vel ſi Vicarius id præſtare non poteſt, tum duobus Patribus maximè idoneis, pietate, ſcientiâ, auctoritate, & dexteritate conſpicuis, accepto priùs ab illis juramento, de ſervanda juſtitia, & ſecreto viſitationis, quam poſteà rotulo incluſam, & ſignatam ſibi tranſmittant, vel in perſona exhibeant appoſitâ ſubſcriptione manuum, & ſigillo ſui officii. Dum comparere oportuerit inter homines, cum moderata id ſocietate faciet, ne magna multitudo attribuatur pompæ, vel nimis pauca faciat contemptum. Fratres recurrentes ad ſe in ſuis gravaminibus benignè ſuſcipiat, & patienter audiat, ſed caveat ne aliquod præjudicium Provincialibus, aut Superioribus eorumdem favore indiſcreto cauſet. Maximam autem curam habeat de unione animorum ſervanda in Ordine, ut omnes Fratres omnium Provinciarum ita ſe ament, & honorent (obliti ſuæ gentis) ac ſi unius Matris eſſent filii; ſeriò etiam attendat, ut in omnibus Provinciis ſit bona educatio Novitiorum, & Magiſtri eorum omiſſis aliis occupationibus, demandato ſibi officio ſtudioſè incumbant. Non ſe oſtendat ex faſtu quaſi non ſit unus ex Fratribus, nec deſideret nimias reverentias, ſed curet, ut ſua converſatio ſit non ſolùm Fratribus, ſed etiam Sæcularibus amabilis. Denique dum aliqua per Sedem Apoſtolicam de Religioſis decernuntur, ſive quoad gratias, ſive quoad Reformationem, ac Privilegia Ordinis, ſit diligens cuſtos, & promotor.

3. Intendat circa bona Ordinis, ut ab alienata recuperet, poſſeſſa conſervet, & augeat, proventus ſibi obvenientes, ultra exigentiam ſuam conferat in bonum commune Ordinis, & ad neceſſaria Fratrum. Reſiduum ſervet in depoſito communi Ordinis; de acceptis, & expenſis Definitorio rationem reddat, contractus arendæ bonorum Ordinis, tum ſolùm faciet, cùm evidens utilitas Ordinis expoſcet; Oppignorationes verò non niſi juxta Conſtitutiones Apoſtolicas; favorem magnorum virorum procuret Ordini, qui protectionem Monaſteriorum habeant, ſed nomina, quæ juriſdictionem ſapiunt, vitent, ne aliqui eorum plus juſto ſibi aſſumant; Loci ordinariis Fratres ſuos, dum per eorum Diœceſim tranſit, commendet, Religioſis cujuſcumque Ordinis officia charitatis libenter impendat, & hoſpites hi-

lari

lari fronte excipiat, religiosè non superfluè tractet, & exemplo Christi Domini non solùm Fratribus, sed etiam Advenis maximè Religiosis pro sua devotione lavet pedes. Cùm extra Refectorium sive in itinere contingat eum comedere; non eligat inter liquores, quin ubique sit memor modestiæ, ac paupertatis religiosæ. Verba ædificatoria etiam ferculis interponat, ut non tantùm suis, sed etiam Sæcularibus ubique locorum bonum exemplum in omnibus relinquat.

CAPUT IV.

De Officio Vicarii Generalis, vel Provincialis.

1. RÆEMINENTIA Vicarii Generalis excedit omnes aliorum Officialium gradus, quos sicut loco, ita & Ordine suffragia ferendi præcedit, totius Ordinis curam gerens, in decessu Prioris Generalis; durante autem vita illius, æquè dispositioni Generalis, sicut & alii subjacebit, nec ullam jurisdictionem sibi assumet in Fratres, nisi in absentia Prioris Generalis emergant aliqui casus inter Fratres, vel ad Monasteria illarum partium spectantes, ad quos sedandos si ipsemet Generalis propter distantiam loci tam citò venire non posset, Vicarius adsit, adhibitis quibusvis censuris contra insolentes, & rebelles, prout paci religiosæ judicaverit expedire; si autem in loco suæ residentiæ non fuerit institutus Prior loci, præeminentiam quidem super omnes habebit, in administrationem tamen Conventûs tam quoad Fratres, quàm quoad bona Monasterii non se ingeret. Cùm munus hoc soli Priori loci debeatur.

2. Officium autem ejusdem Vicarii duplex est. Primum durante vita Prioris Generalis ipsius est zelare pro Ordine, & conatus ejusdem Generalis ad augmentum Ordinis, & pacem Religio-

ligiosam sincerè consilio, & labore cum opus fuerit adjuvare, & si quid viderit, quod vel personam, vel officium ejusdem Generalis concernat debita reverentia, & humilitate admonere; cum hac tamen cautela, ne occasione hujus muneris reverentia, atque obedientia interior, vel exterior in ipso debilitetur, & ne fidelitas, & necessaria libertas dicendi respectu ejusdem reverentiæ, & obedientiæ opprimatur, quo minùs Priorem Generalem admoneat de iis, quæ senserit sive ex instinctu aliorum, sive ex proprio motu in eodem requiri ad majus obsequium, & gloriam Dei.

3. Caveat autem, ne occasione sui officii debitam reverentiam, & submissionem, Subditorum erga Superiorem totius Ordinis, (quem Christi locò habeant) aliqua ex parte imminuat, vel debilitet; convenit enim, ut cum Priore Generali idem semper secundùm Deum sapiat, & existimationem illius, apud omnes verbis, & factis tueatur, & augeat. In depositione autem officii, & sigilli Prioris Generalis, ad ipsum spectat Capitulo præesse ad electionem novi Generalis, & vitam, ac mores præteriti cum Definitoribus examinare juxta præscripta in Constitutionibus.

4. Secundum officium Vicarii est, in decessu è vivis Prioris Generalis curare, ut Missæ, & Orationes pro anima demortui in universo Ordine fiant, deinde Capitulum ad electionem novi Generalis faciendum indicere, & vocales convocare; antequam autem Ordo conveniat pro Capitulo, ipsi incumbit vices gerere Generalis in gubernatione Ordinis, ita tamen ut nullam gubernationis rationem immutet, sed ad spiritum, & sensum bonum Generalis demortui se componat, illius voluntatem compertam sequatur, incertam inquirat ab iis, qui à consilio ejus fuerint, itaque quoad poterit debebit suo ministerio, quasi vivum præsentem Generalem, illiusque gubernium repræsentare, cum mandata ipsius, & aliæ quævis ordinationes morte ejus non extinguantur, sed executioni ab omnibus debent mandari, in quem finem iisdem Definitoribus, Secretario, Consiliariis, & aliis Officialibus, qui creantur à Generali utetur ad gubernationem Ordinis, quibus demortuus utebatur. Neminem illorum im-

mutabit, nullum Fratrem ſine neceſſitate de reſidentia transferet, neminem de novo Officialem creabit, niſi fortè aliqui morerentur, & alii in illorum locum uſque ad electionem novi Generalis ſubſtituendi eſſent, vel aliquæ cauſæ graviſſimæ intercederent, propter quas aliquis illorum ab executione officii tollendus, vel ſuſpendendus videretur, prædictaque omnia fiant de conſenſu majoris partis Definitorum, cum quibus omnes res debet conſultare, ut plus ponderis habeant ea, quæ ipſe ſtatuerit; graviora autem negotia Ordinis differat ad novum Generalem electum, niſi ita aliquid grave, & urgens acciderit, ut judicio ipſius, & Definitorum non differri deberet.

5. Non licebit itidem ei ullos contractus, etiam ad breve tempus duraturos Arrendæ, oppignorationis, multò minùs alienationis bonorum Ordinis cum quibuſvis perſonis facere. Omni autem ſtudio curare debet, ut proventus exigantur, percipiantur, & aſſerventur penes perſonas ad id conſtitutas, ut in debitos, & præſertim neceſſarios convertantur uſus; pecuniæ autem, & eorum omnium, quæ remanſerint poſt deceſſum Prioris Generalis, faciet inventarium cum uno adminùs Definitore in præſentia Secretarii Generalis, nec non Superioris illius Conventûs, in quo Generalis moriatur, ſi ibi res, & ſuppellex, aut pecunia illius fuerint, ſi autem in alio monaſterio extiterint, inventarium fieri curet per Superiorem illius loci, aſſiſtentibus ad minùs duobus ex ſenioribus, & gravioribus Fratribus illius Monaſterii, ut poſteà Succeſſori omnia in integro reſtituat, & quantum pro Capituli proviſione expoſuerit, det rationem horum omnium electo Generali.

6. Porrò Vicarius Generalis, in deceſſu Patris Generalis eo ipſo amittet gubernium immediatum Monaſterii illius, cui fortè præerat. Et tunc alium Superiorem illi præficere tenebitur. Idem judicium eſto de Vicariis Provincialibus proportionaliter reſpectu ſuorum Provincialium.

CA-

CAPUT V.

De Præeminentia, & Officio Provincialium.

1. AUCTORITAS Provincialis triennio integro ordinariè durat, & includitur terminis ſuæ Provinciæ, ita quòd ſibi ſubjectos ad Conventus diverſæ Provinciæ pro reſidentia non valeat ablegare, niſi de conſenſu Prioris Generalis, intra Provinciam autem poterit non ſolùm delinquentes juxta exigentiam delicti corrigere, punire, & loco mutare, ſed etiam officio privare, & alios ſubſtituere de conſenſu majoris partis Definitorii, ſi tamen cauſa fuerit magni momenti, puta ſcandali, damni, vel infamiæ perſonæ, aut Ordinis. Si verò Vicarius Provincialis, aut alii, per liberam electionem creati, officio privandi forent, fiat id de conſenſu Patrum ut infra Par. 3. Cap. 29. num. 17. de viſitatione. Poteſtas abſolutionis à peccatis, & diſpenſationis à cenſuris ei convenit per viam communicationis, cum Patribus Chartuſianis, juxta tenorem Bullarum à Sede Apoſtolica emanatarum. Conſultius tamen eſt, ut caſus irregularitatis remittat ad auctoritatem Prioris Generalis.

2. Ad officium ejuſdem Provincialis pertinet ſingulis annis omnia Monaſteria Provinciæ incipiendo à Conventu principali in perſona viſitare, modo præſcripto; vel ſi infirmitas, aut aliqua gravis, & legitima neceſſitas, ſive impedimentum non permittat, officium hoc Vicario ſuo demandare, prout habetur de officio Prioris Generalis. Præſente Priore Generali profeſſionem Fratrum non recipiat, ſine licentia ejuſdem domo non diſcedat, ſubmittendo majori auctoritati officium ſuum, Priorem Generalem certificet de ſtatu ſuæ Provinciæ, numero, & qualitate Fratrum. Perſonas qualificatas in pietate, & ſcientia collocet in iis officiis, & locis in quibus fructum

majorem afferre poſſunt; diſcolos autem ponat in iis, ubi major numerus Fratrum exiſtit; ipſius eſt infirmis condeſcendere, protervorum contumaciam frangere, litteras exhortationis concernentes totam Provinciam miſſas à Priore Generali per omnes Conventus quantò citiùs publicare, contentiones exortas inter Fratres dirimere, & ſopire, per litteras Conventuales, ſæpius conſolari, & exhortari ad bonum. Demùm omnes occaſiones tollere, quibus rigor diſciplinæ Regularis enervari, vel offenſa Divina, (cujus maxima ratio habenda) in omnibus quoquo modo contrahi poſſet; cujus rei cauſa in Conventibus, per plures, vel pauciores hebdomadas juxta deſignationem per Definitorium faciendam in Capitulo Provinciali, commorari debet, ut in obſervantia res ſtabiles relinquat. Cætera deſcripta, Capite de Officio Generalis, ita obſervet, ut in nulla re curam ſui, & ſibi ſubditorum, atque bonorum Provinciæ ex parte, vel ex toto negligat, vel omittat.

CAPUT VI.

De Officio Definitorum.

1. DEFINITORES ſolertes, zeloſi, ac prudentes eligendi ſunt, qui Priorem Generalem, vel Provincialem in gubernatione totius Ordinis, vel Provinciæ, conſilio, diligentiâ, & labore adjuvent, quibus hæc præcipuè prærogativa conceſſa, ut in omnibus negotiis decidendis ad ſuam ſeſſionem devolutis ſententiam definitivam ferant cum Priore Generali, vel Provinciali, & eorum Vicariis poſt Patres, qui officio Generalium, vel Provincialium antea benè functi fuerunt. In ſententiis verò ferendis ſtudeant ſinceram, & à perturbatione liberam intentionem habere, ut breviter liberè, non tamen præcipitanter, ſed re benè ſecum coram Deo conſiderata, cum omni modeſtia ſententiam dicant, & qui poſteriores ſunt in ſen-

ſententiando Priorum dicta inutiliter non repetant, niſi ad rem confirmandam, aliorum rationes eſſent diſſolvendæ, quòd modeſtè facere, & rationes ſuæ ſententiæ breviter exponere debent; ſi autem aliquid ex tempore diſcutiendum proponeretur, & id ſibi maturius conſiderandum judicaverint, agant cum Priore Generali, vel Provinciali, ut in ſequentem diem ultimam ſententiam differat.

2. Ad Officium Definitorum ſpectat Regulam, Conſtitutiones, Ordinationes Capitulorum, Privilegia Ordinis, & quidquid vocationi noſtræ inſervire poſſit, frequenter legere, & benè intelligere, & cùm opus fuerit, in promptu habeant, & negotia Ordinis, ac perſonas peculiari oratione in ſuis Sacrificiis Deo commendent. Non minoris curæ ipſorum eſſe debet, ut cum Generali, vel Provinciali ſingulari Charitate, & Obedientiâ conjungantur, & ejus conjunctionis exemplum verbis, & factis oſtendant, Auctoritatem ipſius apud omnes domeſticos, & extraneos, & eorum erga ipſum amorem non ſolùm conſervent, ſed omnibus modis, quibus poterunt augeant. Ipſi inter ſe mutuâ Charitate, religioſâ concordiâ, judicio, conſilioque rerum agendarum, & ipſo eas agendi modo conſentiant, alter alterum honore præveniat, & exiſtimationem ejus promoveat; Si autem contingat aliquem in actibus judicialibus, ſeu conſultationibus diverſæ, aut etiam ſingularis eſſe ſententiæ, nemo ab illo ullam alienationem habeat, vel oſtendat. Erga alias perſonas Ordinis ita exerceant munus ſuum, ut non ſapiat acceptationem perſonarum.

3. Nemo illorum ſententiam alterius, aut quævis dicta, propoſita, definita in ſeſſione aliis extra Definitorium revelet, aut indicet ſub pæna amiſſionis officii ipſo facto, & privationis vocis activæ, & paſſivæ uſque ad futurum Capitulum Generale, vel Provinciale, quæ autem definientur, Prior Generalis, vel Provncialis debebit ea per ſe, vel per Secretarium promulgare, cum opus eſſe judicaverit.

CA-

CAPUT VII.

De Officio Procuratoris Generalis in Urbe Residentis.

1. LECTIO Procuratoris Generalis fit sicut Patris Generalis, & Definitorum, in quolibet Capitulo Generali electivo; nisi officio privandus esset ex causis propter quas ipsemet Pater Generalis, & Definitores privandi sint juxta Constitutiones. Et tali casu, ac in casu mortis subrogetur alius per Definitorium usque ad proximum Capitulum Generale. Expeditio illius in Urbem, sumptibus fiat Ordinis; qui priusquam illuc se conferat juramentum super Evangelia hoc modo præstabit: *Ego Frater N. N. juro, quod secundùm conscientiam meam servabo secretum in negotiis Ordinis nostri, eaque in Curia Romana secundùm posse promovebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

2. Idem Procurator Generalis semper sociatus ex Conventu ad negotia exibit, ab ordinariis mortificationibus, disciplinis, silentio, & solitudine Cellæ non se eximat, sed in ea tanquam in summæ quietis emporio se se contineat. Dum negotia Ordinis permittunt cum aliis Choro interfit, psallat cum aliis, & meditetur, ac Sacrum singulis diebus quantum fieri potest per se absolvat, vel adminùs audiat.

3. Ad Capitulum Generale electivum cùm tunc ipsius uti aliorum expirent officia, comparere erit obligatus, informaturus totum Ordinem super cursu negotiorum. Ad intermedia verò non secùs compareat, nisi ob graves aliquas rationes Pater Generalis illum evocandum judicaret. Ejus summæ diligentiæ erit, ut habeat libros compactos, in quibus acta, tractata per ipsum in curia Romana ad sacrum ordinem spectantia stylo polito notabit. Et quod Deus Clementissimus avertat, si

si aliquod periculum immineat, vel alicujus personæ privatæ nostræ, vel totius Ordinis, maturè, & fideliter Reverendissimum Patrem Generalem cum suo Definitorio præmonere, & informare erit obligatus. Privatorum negotia nunquam sine facultate Patris Reverendissimi tractanda suscipiet; si quæ per Sanctissimum sancita pro Ordine nostro fuerint, Patri Generali insinuet, & si favorabilia eidem Ordini fuerint sollicitè expediri curet.

4. In Capitulo Generali, cum ad illud accesserit, locum post Patres Definitores, & vocem in electione Patris Generalis, uti & aliorum Officialium habebit. Si aliquem ex nostris ausu temerario Romam ire contigerit, talem ad sequestrum poni curet, & Sacram Congregationem de Propaganda Fide; nec non Reverendissimum Patrem Generalem mox certiorem reddat, & quid ultra cum tali agendum sit, inquirat.

CAPUT VIII.

De Officio Socii, seu Secretarii Prioris Generalis, vel Provincialis.

1. SOCIUS seu Secretarius Prioris Generalis, vel Provincialis, cæteris pietate, & scientiâ præ-lucere debet, ut & bono exemplo sit omnibus; acta Ordinis, visitationes Fratrum, decreta Prioris Generalis, vel Provincialis, & Definitorii, ac litteras quasvis scribat stylo polito, servato modo scribendi Regulari. Nullas litteras sigillet, nisi priùs à Patre Generali, aut Provinciali revisæ, & subscriptæ fuerint, supplicationes quascumque recipiat, & rescriptum juxta mandatum Patris Generalis, vel Provincialis iisdem, ac quibusvis litteris patentibus apponat; Si quid viderit in Patre Generali, seu Provinciali, quod personam suam, vel officium concernat, non negligat ipsum modestè, ac reverenter admonere, & eundem de audi-

auditis, aut factis contra ipsum præcavere; secreta, quæ audiverit in visitatione Fratrum, sessione Definitorum, vel quævis alia communicata à Patre Generali, vel Provinciali districti silentii custodiâ præmat. Quæ graviora, & periculosiora Ordini, aut Provinciæ perceperit, revelet Priori Generali, aut Provinciali, vel Definitoribus, & in omnibus dictis, scriptis, & factis intendat, quod auctoritatem Prioris Generalis, vel Provincialis commendet, cui omnia agenda in memoriam revocare, & executionem sollicitare debet. Ad extremum ipsius curæ est ea quæ tuendo corpori, & conservandæ vitæ Prioris Generalis, aut Provincialis (quam ei Ordo, seu Provincia committit) necessaria sunt diligenter providere, familiam officii regere, omnes perceptas, & expensas fideliter conscribere, æqualem favorem omnibus fratribus exhibere, nec quidquam tale pro se, & Patre Generali, vel Provinciali affectare, quod singularitatem præseferat, & cæteris scamdalum generet.

2. Cùm interfuerit sessionibus Definitorum, locum quidem habebit post Definitores non ad suffragia ferenda, sed ad decreta super sententiam definitivam formanda, & publicanda, quæ in acta Ordinis, aut Provinciæ referre, & propria manu subscribere debebit. Poterit tamen sententiam suam dare, quæ vigorem consilii non prærogativam definitionis habeat. Intra tempus Capituli, vel Visitationis locum ante Priorem loci occupabit.

CA-

CAPUT IX.

De Officio Priorum.

1. AD ipsos pertinet scire clarè, & plenè, quænam privilegia, & potestatem habeat Ordo noster præsertim in absolutionibus, & dispensationibus; similiter bona, & res domorum perscrutentur, ut sciant discretè dispensare. Cavendum est eis ne graventur subditi, & ne fiant immoderati quæstus, & parta cum parcitate expendantur, caveant ne ex amore privato aliquid faciant; laudabilia quæ in Prædecessoribus eorum fuerunt prudenter inquirant, & inventa observent: Officia Divina, & Psalmos pænitentiales cum suis diligenter persolvi locis, & temporibus debitis faciant, diligentiam maximam adhibeant, ut omnes Fratres conveniant in inclinationibus, & aliis cæremoniis tam circa Missam, quàm Mensam, Pacem Ordinis semper quærant, & profectum. Corrigenda quæ per se commodè exequi non possunt, prorogent ad adventum Patris Generalis, vel Provincialis. Attamen Officiales in Capitulo institutos si fuerint discoli ab Officio suspendant. Imperfectiones Fratrum, vel Conventuum nullibi referant sine causa rationabili; ubique pacem habeant cum Clericis, Monachis, & Laicis. Discursus Fratrum restringant præsertim Juniorum, non quærant sibi delicatos cibos, nisi causâ infirmitatis, familiam tollant omninò superfluam, & inhonestè viventem. Amore Ordinis nulla negotia negligant, & si perspexerint aliquem Fratrem super his laborantem in domibus eorum, aut extra prout poterunt eum adiuvabunt. Patrem Generalem, vel Provincialem cum sociis, & familia benignè suscipiant, & pertractent. In magnis solemnitatibus Officium Missæ ipsi peragant cum decentibus Ministris. Infirmorum necessitates audiant, curentque diligenter ungi morientes, & mortuos sepeliri. Conventûs curam in necessitatibus videlicet in victu, & amictu, atque in

medicinis ſic gerant ne poſſit murmur oriri, quod ſi commodè fieri omnia nequeant, rationabiliter ſe excuſent, ſi ſubditi famem, & ſitim ſuſtinent, ipſi ſint primi. Imò ſibi ipſis ſint ſtricti, & Fratribus largi; caveant ſingularitates in cibo, & potu, lecto, & veſtitu, ſuperfluitates reſtringant tam in Refectorio, quàm in Infirmaria, quàm etiam ubilibet. Diſpenſationes cum toto Conventu in laxandis jejuniis, & abſtinentiis nunquam concedant, perſonis tamen aliquibus ob juſtam neceſſitatem indulgeant; ſine conſenſu Patrum Definitorum non audeant facere magnas emptiones, venditiones, ædificia, & permutationes ſeu contractus. Diſcedentes ad Capitulum plenè informent ſuos ſubditos de neceſſariis domûs, quantum ſcilicet cuique ſint debitores, vel quantum alii debeant Monaſterio.

2. Non ſe intromittant in ſingula Monaſterii officia, ſed corripiant Officialium negligentias. Ipſorum eſt cognoſcere varias complexiones Fratrum, ac debilioribus condeſcendere, protervias, & contumacias Fratrum humilient. Naturaliter impatientes ad tempus ſuſtineant, errantes corrigant cum compaſſione, ſerventiores plùs debito cohibeant, periculoſos ſollicitè cuſtodiant, maturos, & idoneos non permittant otiari, non tamen applicent eos ad ea, ad quæ non ſunt idonei. Juvenes applicentur ad labores, ſenes ad exercitationem animi, videlicet ad conſilia, orationes, lectiones; Fratres aliorum Conventuum charitativè ſuſcipiant, & neceſſitatibus provideant, ſic agendo in ſimilibus, & diſſimilibus modò privatè, modò publicè, modò ſeverè, modò blandè, modò verbis, modò diſciplinis, modò pœnis, modò recreationibus, modò per ſe, modò per alios Fratres diſcretè agendo, modò negando licentias, modò concedendo. Singulorum profectibus dare debent ſpecialem operam, in aliis verò ad regulas Patris ſe accommodent.

CA-

CAPUT X.

De Officio Magiſtri Novitiorum.

1. SUperior Monaſterii, in quo eſt Novitiatus præter ſupradicta de educatione Novitiorum ſervabit pro conditione ſua normam datam Prioribus, ac Superioribus in communi. Magiſter autem Novitiorum ſequentia ſeriò obſervabit. Quamprimùm Novitius indutus fuerit doceatur circa omnia illa, quæ ſpectant ad vitam ſpiritualem, & interiorem hominis compoſitionem prout habetur Parte prima de Novitiis educandis, ad quod negotium valdè conducet frequens lectio piorum Auctorum, qui de vitæ ſpiritualis, & religioſæ profectu ex profeſſo pertractant, deinde doceatur circa ea, quæ ſpectant ad exteriorem hominis compoſitionem, videlicet, quomodo debeat loqui, comedere, incedere, dormire, converſari, totumque hominem externum religiosè moderari. Immodeſtia enim ſicut virtuti repugnat, ita modeſtia facit hominem aptum, & idoneum virtuti recipiendæ. Itaque ſingulis diebus ratio modeſtiæ requiratur, neque occultet Novitius, ſi fortè curioſius inſpexerit, velociter inceſſerit, aut altâ, vel præcipiti voce locutus fuerit, manus parum compoſitè geſſerit, &c. ut paterno more moneri, & corrigi poſſit.

2. Quilibet ex Novitiis mandet memoriæ rudimenta Doctrinæ Chriſtianæ, & admoneatur, ut diligenter ſtudeat, & ſciat, ac notata compendiosè habeat, quæ ſpectant ad perfectionem Chriſtianam, ejuſque gradus, & media, per quæ attingi poſſit.

3. Quolibet autem Menſe unumquemque Novitiorum privatim examinet Magiſter ad explorandum ſpiritum religioſum, quem ex hiſcè ſignis faciliùs dignoſcet, videlicet an contentus vivat ſua vocatione, quas tentationes, turbationes, & contradictiones patiatur, ad quæ peccata, vitia, & paſſiones propendeat, cui orationi mentali, an vocali plùs vacare poſſit, an de-

 ſola-

ſolationes, evagationes, ac diſtractiones mentis habeat, & quomodo eis reſiſtat? Quem fructum ex Sacra Communione, examine conſcientiæ, & aliis exercitiis capiat? Num poſt examen præteritum profecerit? Saltem in deſiderio efficaci; quomodo officia ſibi injuncta expediat: quem animum habeat ad injurias perferendas, Crucem Chriſti portandam, quomodo ex aliorum exemplo proficiat? Quomodo ſit affectus ad Fratres, & Superiorem? Quomodo memor præſentiæ Dei? Quomodo anhelet ad amicitiam ejus? Quam exerceat directionem in principio, & medio ſuarum actionum? Quem numerum habeat ſuarum mortificationum? Denique quàm magnificiat aliquam offenſam Dei, & quomodo eam puniat in ſe, ut veniam obtineat? In hiis, & ſimilibus punctis inſtruat Novitium Magiſter, vacillantem rectificet, puſillanimem ad labores pro virtute, & Deo tolerandos animet, & ad perfectam reſignationem propriæ voluntatis ad arbitrium Superioris, ac etiam ad contemptum ſui ipſius cohortetur.

4. Porrò pœnitentiæ tales injungi debent, ut pertingat ad ſpiritum, ideò non ſemper aſſignetur Pſalmus, *Miſerere*, aut Seſſio in terra &c. ſed aliqua ſpiritualia adjungantur exterioribus pœnis.

CAPUT XI.

De Officio Diſcretorum.

1. DIscreti Provinciarum, & Conventuum in promovendis negotiis Provinciæ, vel Monaſteriorum plenam poteſtatem habent nomine communitatis in Capitulis, ita quòd totum illud ratum, & fixum ab omnibus haberi debeat, quidquid in Definitorio audita informatione Diſcretorum concluſum, & definitum fuerit, nullam verò præeminentiam in Choro, & Menſa, ſed in ſola diſcretoriali convocatione ſibi uſurpare poterunt.

2. Ad

2. Ad Officium ipſorum pertinet intereſſe Definitoriis, & Diſcretoriis, quæ peracta re Sacrâ Matutino tempore, ut plurimùm ad ſonum Campanæ fieri debent. Ad ipſos etiam ſpectat res conſultandas proponere, de quibus ſinguli per Ordinem vota ferant, ſi quis autem ex Fratribus voluerit aliquid proponere in Definitorio, vel Diſcretorio, id committat Diſcreto in ſcriptis, cujus prudentiam concernit poſtulata à Patribus maturè, quæ bonum commune Conventuum, aut Ordinis contineant ſuſcipere, & illas querelas acceptare, per quas Ordo detrimentum aliquod pati poſſit.

3. Cavcant autem ne quâ paſſione, vel affectione inordinata in aliquo accuſando, deferendo, vel laudando, ducantur, etiam ſi de ſuis Superioribus agatur, & cum redierint ad Provinciam, vel Conventus, nulli omninò referant ea, de quibus à Patre Generali, aut Provinciali pro informatione aliquarum perſonarum, ac rerum interrogati forſitan fuerint, quod cum magno charitatis diſpendio evenire poſſit.

4. Ad extremum reſponſa ad poſtulata ſibi commiſſa communitati ſuorum Conventuum, vel Provinciæ manu Secretarii ſubſcripta, & ſigillo Prioris Generalis, vel Provincialis munita, vel ipſi deferant, vel per alios tranſmittant. Quod ſi aliqui electioni, vel conſultationi diſcretoriali abſque legitima cauſa non interfuerint, voce activâ per annum priventur, ſecretum autem illius convocationis quoad omnia dicta, & propoſita omninò ſervabunt, itidem ſub amiſſione vocis activæ.

CAPUT XII.

De Officio Suppriorís.

1. SIt laudabilis vitæ, qui Superiorem loci adjuvet in regimine Conventûs, maximè quoad disciplinam regularem promovendam, potestatem suam ultrà limites sibi præscriptos à suo Prælato non extendat. Absente Priore in Capitulis hebdomadalibus poterit culpas ordinarias, leves, & manifestas corrigere, graviores autem Priori reservet, nisi enormitas delinquentis id eum facere cogat de consilio duorum Patrum seniorum, dum non tam citò adventus Prioris expectatur, pro quo tempore nihil immutabit, nullum Conventualem extra Monasterium mittet, excepto casu tantæ necessitatis, quæ dilationem non patiatur. In præsentia Superioris loci, eâ jurisdictione utetur super Fratres, quæ sibi fuerit commissa, nulla tamen Capitula cum Conventualibus faciet, nisi in casibus expressis sine licentia sui Prioris, cujus mandatis, & ordinationibus promptè ad exemplum aliorum obsequetur; à lectura quidem mensæ, & servitura, sed non ab hebdomadariatu, & Missis exceptus manebit.

2. Ad Officium ejusdem Supprioris pertinet horis omnibus Divinis nocturnis, & diurnis personaliter adesse, ad puncta, & pausam versuum, unà cum Cantore rigorosè attendere, delinquentes, præmissa admonitione Priori deferre, lectorem in mensa corrigere, pacem, & charitatem inter Fratres conciliare, sensum eorum ad beneplacitum Superioris inflectere, in rebus licitis & honestis pro licentia ad Priorem intercedere. Dissensiones exortas componere, rebellibus, & inobedientibus nullo modo associari, mœstos, & afflictos solari. Cæremoniis Breviarii, Missalis Romani, Rituum Ordinis ad præscriptam dispositionem ipsorum sollicitè invigilare, & ad observationem earum alios inducere, munditiem in Ecclesia, Refectorio, mensa, cubiculis, lectis, & aliis locis per Fratres ad id deputatos procurare,

rare, facta Prælati alios turbantia, quantùm conscientia permittit, excusare; vestimenta, libros, domûs suppellectilem, & alia usui Fratrum concessa conscribere, & ex registro quolibet trimestri revidere, & diligenter attendere, ne quid eorum de Conventu efferatur absque licentia expressa Superioris. Prælatum proprium, de negotiis domûs, de secretis defectibus Fratrum, de necessitatibus, quibus Conventus egeat, informare, ac promptum demùm se in obsequiis, disciplinatum in moribus, hilarem in vultu, affabilem in verbis, facilem in laboribus, & charitativum in omnibus exhibere. Prouti & omnia, quæ accidunt in Conventu cum mutationibus Personarum, in libro ad id singulariter deputato, qui in singulis Conventibus haberi debet, diligenter adnotare.

CAPUT XIII.

De Officio Prædicatorum.

1. PRÆDICATORUM, qui velut lucernæ ardentes non minùs vitæ sanctitate, quàm scientiâ, & eruditione multa cæteros superare debent, vita concordet cum doctrina, ne quod una manu ædificant, alterâ destruant.

2. Primò igitur omni studio vivam imaginem innocentiæ, & observantiæ regularis, quoad omnia puncta in Constitutionibus contenta in se exprimant, ut bono exemplo virtutum materiam sui sermonis persuadeant auditoribus.

3. Ipsorum proprium est, Sacram Scripturam semper præ manibus habere, legere, & quantum fieri potest quotidiè aliquid memoriæ mandare, ut cùm opus fuerit, si non de verbo ad verbum loca ipsius citare, saltem sensum verborum, & historiæ fideliter queant referre; Noverint etiam historias Ecclesiasticas, Vitas Sanctorum, & sententias Doctorum, expositionem utriusque Testamenti, & alia his similia, quibus colligendis, & addiscendis residuum temporis, quod sibi ab Officio

cio Divino, oratione mentali, & aliis exercitiis Spiritualibus remanſerit, libenter impendant. Nunquam ſine præparatione concionem faciant, ſed priùs ſcripto exarent, ſedulò ruminent, ſæpiùs liment, diligenter circumſtantiis intenti: Quid, ubi, cur, quando, & quomodo loquantur? Ob præmium vitæ æternæ non parcant labori, motivum primum illius ſtatuentes majorem gloriam Dei, & ſalutem animarum; orationibus, jejuniis, & diſciplinis habitaculum Spiritui Sancto in corpore, & in anima præparantes, qui eos doceat omnia loqui, & facere: ne dum aliis verbum veritatis prædicant ipſi reprobi efficiantur.

4. Indulgentias, & miracula incerta pro certis ſub pœna excommunicationis non publicent, materiam ſui ſermonis conditioni Auditorum accommodent. Si moleſtantur ſtrepitu, vel garulitate aliorum, benignè eos commoneant, faciem non deforment, manibus non percutiant, pedibus non calcent, atque omnem inordinatum motum corporis, & clamorem caveant, particulares defectus Clericorum coram populo non arguant. Res incertas, fabulas vanas, & alia, quæ riſum moveant etiam privatim devitent, obſcura, & ſubtilia, exemplis, & ſimilitudinibus declarent, ac concinnum procurent modum ſuæ concionis, ut non ſolâ copiâ verborum aures audientium delectent, ſed & pondere argumentorum animum inſtruant, & affectum moveant ad bonum faciendum, & malum declinandum. Paucitate Auditorum à prædicatione non retrahantur.

5. Iidem dabunt operam apud Superiores, ut in domo habeantur libri varii bonæ ædificationis in Bibliotheca communi, de libris autem eorum uſui conceſſis non ſint valdè avari, ſed concedant indigentibus, prætendant in habitu humilitatem, in moribus honeſtatem, in rebus diſcretionem, in zelo animarum ſalutem, in cibo, & potu ſobrietatem, in agendis maturitatem, ad quæſtiones motas non facilè reſpondeant, ſed præmeditatè, & ſemper ædificatoria dicant, in bonis conſuetudinibus conforment ſe his à quibus illæ conſervantur, prædicent breviter, & diſtinctè, perſonas ne denotent, cùm indè

ſæpiùs pro ædificatione ſequatur ſcandalum, aut turbatio; ne aliquid in concionibus proferant quod vindictam ſapiat, quaſi ſuas, ſuorumque velint proſequi injurias, non verecundentur quidquam prædicare, dummodò ſit proficuum ſaluti animarum, primi eſſe cupiant in celebrandis Miſſis, devotionibus, abſtinentiis, ſilentio, vigiliis, commune mandatum levi ex cauſa non omittant, caveant diſcurſus exteriores, qui poſſint parere ſiniſtram de ſe ſuſpicionem, mentis diſtractionem, ſpiritûs religioſi diſſipationem.

CAPUT XIV.

De Confeſſariis.

1. UT uniformitas noſtrorum etiam in Confeſſionibus ſacramentalibus excipiendis ſine omni reprehenſione obſervetur, nullus ad Confeſſiones præſertim ſæcularium accedat, niſi optimè calleat præſcriptas doctrinas de Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando poſitas in Rituali Romano Pauli V. quas unuſquiſque Confeſſarius penes ſe habere debebit; & quidem primò meminerit Confeſſarius ſe Judicis pariter, & Medici perſonam ſuſtinere, ac Divinæ Juſtitiæ ſimul, & Miſericordiæ miniſtrum à Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam Arbiter inter Deum, & homines honori Divino, & animarum ſaluti conſulat. Deinde judicare queat diſcernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus Medicus, animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, quantam poteſt ad id maximam ſcientiam, atque prudentiam, tam aſſiduis ad Deum precibus, quàm ex probatis Authoribus cum prudenti conſilio peritorum ſtudeat ſibi comparare.

Omnem demùm hujus Sacramenti adminiſtrationem rectam noſſe ſtudebit; atque in hoc miniſterio ita procedat, ut infra præſcribitur.

2. Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus, promptum, facilemque ſe præbeat, ac priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat ad hoc miniſterium rectè, ſanctèque obeundum Divinum auxilium piis precibus implorabit.

3. In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, & patenti loco præſtare. Sedes in Eccleſia ad ſacras Confeſſiones excipiendas in patenti conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſitæ, Crate perforatâ inter pœnitentem, & Sacerdotem ſint inſtructæ.

4. Pœnitens ſi opus fuerit admoneatur, ut quâ decet humilitate mentis, & habitûs accedat flexis genibus, ſigno Crucis ſe muniat, mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu, niſi aliter notus fuerit, & à quanto tempore ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit? num ritè, atque integrè aliàs confeſſus fuerit? Num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit?

5. Quod ſi pœnitens aliqua cenſurâ, vel caſu reſervato ſit ligatus, à quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi prius obtentâ facultate, à Superiore illo, cui erunt reſervata. Materiam quoque de reſtitutione, ac contractibus communioribus calleat, ac injuſtis detentoribus abſolutionem neget. Si verò Confeſſarius pro perſonarum qualitate cognoverit pœnitentem ignorare fidei Chriſtianæ rudimenta, ſi tempus ſuppetat eum breviter inſtruat de articulis fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut poſtmodùm diligenter addiſcat.

6. Tum pœnitens Confeſſionem generalem latinâ, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet *Confiteor &c.* & ſaltem utatur his verbis: *Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater*; peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante quotieſcumque opus fuerit Sacerdote, qui confitentem non reprehendat, niſi finita, ut dicetur, confeſſione, neque interpellabit, niſi cum opus fuerit aliquid melius intelligere, proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua ritè, & integrè confiteatur, remotâ ſtultâ illâ quorundam verecundiâ, quâ præditi ſuadente diabolo peccata con-

confiteri non audent; ſi pœnitens numerum, ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget, ſed caueat, ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexûs, vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant. Demùm audita Confeſſione perpendens peccatorum, quæ ille admiſit magnitudinem, & multitudinem pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac admonitiones, prout opus eſſe viderit paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Poſtremò ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem quantum ſpiritus, & prudentia ſuggerit injungat habita ratione, ſtatûs, conditionis, ſexûs, & ætatis, item diſpoſitionis pœnitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne ſi fortè peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantùm ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem. Quare curet quantum fieri poteſt, ut contrarias pœnitentias peccatis injungat, veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rariùs autem, vel ſeriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpè peccata in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat communicent, Pœnitentias pecuniarias, ſibi ipſi Confeſſarii non applicent, neque à Pœnitentibus quidquam tanquam miniſterii ſui præmium petant, vel accipiant. Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt, qui nulla ſigna dant doloris. Qui odia, aut inimicitias deponere, aut aliena ſi poſſunt reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata relinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publicè ſatis-

faciant, & ſcandalum tollant; neque eos etiam abſoluat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

7. Si verò quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus abſolvendus eſt, ab omnibus peccatis, & cenſuris quamvis reſervatis (ceſſat enim tunc temporis omnis reſervatio) ſed prius ſi poteſt cui debet, ſatisfaciat, & ſi periculum euaſerit, aliqua ratione Superiori à quo aliàs eſſet abſolvendus ſe ſiſtere teneatur, & cum primùm poterit coram eo ſe ſiſtat quidquid debet præſtiturus.

8. Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit peccata pænitentis cognoſcere, quibus utcumque cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

Meminerit porrò Sacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pænitentiam, ſed tantùm illam, quam ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi aliqua oratione, aut ſatisfactione impoſita, & accepta abſolvantur, prout opus fuerit.

9. Hoc principaliter intendat, ut pænitens ad Deum corde ſincero, ac integro convertatur, undè ante abſolutionem eum inducat, ut ex animo peccata omnia deteſtetur, quatenus ſunt offenſa Dei, & doleat ex animo ſuo, quod aliquando Deo diſplicuerit, cum propoſito efficaci in poſterum ea vitandi ob amorem Dei ſuper omnia diligendi.

CA-

CAPUT XV.

De Officio Sacriſtæ.

1. SAcrista debet eſſe fidelis, gravis, laborioſus, exemplaris, ſedatus, & ſollicitus de apparatu Eccleſiaſtico, & ornamentis Altarium. Ante omnia autem habeat curam ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſingulis hebdomadis renovetur, ac Sacrarium mundum ſit, ac clauſum omnimodè, continens ſemper duodecim hoſtias conſecratas. Deinde ſingulis diebus veſtimenta Sacerdotalia, ut puta albas, caſulas diſponat pro capacitate Sacriſtiæ, & numero Patrum. Patres autem non alia veſtimenta accipiant, niſi quæ tali modo à Sacriſta fuerint expoſita. Contra facientes, deferat Superiori, Atria templi, & Sacriſtiæ claudat, ne ornamenta Altarium, & reliquæ res Sacræ, quæ ipſius cuſtodiæ committuntur portis patentibus pereant.

2. Eleemoſynas quocumque modo obvenientes fideliter Superiori tradat, Miſſas in regeſtro, ſeu in tabula Sacriſtiæ deſcribat, ut ad intentionem Benefactorum de tali Sancto, vel Feſto dicantur, vel cantentur, ſervatis tamen rubricis Miſſalis Romani; idem diligat decorem domûs Dei, Altaria, Imagines, Sacriſtiam, Chorum, totam Eccleſiam, Cæmeterium, ab omnibus ſordibus, pulveribus, ac telis aranearum expurgando, & omnia vaſa Eccleſiæ frequenter lavando per ſe, aut per Miniſtros ad id deputatos; Aquam verò, quâ corporalia, purificatoria, vaſa ſacra, & ſimilia purificauerit in Piſcinam ſanctam ad hunc finem ſub Altari præparatam effundet. Hoſtias item mundas abſque ullis maculis intus, vel extra in decenti vaſe repoſitas habebit, vinum purum, & recens, aquam recentem, & mundam, in vaſis itidem mundis. Res templi in locis accommodatis ſervabit, & res ſacras, vel benedictas, ne putore, aut tineis conſumantur cuſtodiet, & excutiet, & ex eis corroſa digeret in cineres, & eoſdem in Piſcinam ſanctam mittet, ſpeciales Imagines Crucifixi pro Altari-

taribus habebit, tabulas ſubter candelabra, vel papyrum craſſam procurabit. Ædificium, vel reſtaurationem aliquam inconſulto Superiore non attentabit, ipſum concernit ſecundùm morem domorum noſtrarum in magnis ſolemnitatibus decorare floribus, & frondibus, cortinis, aliiſque ornamentis tam templum, quàm Altaria ſecundùm diverſitatem temporum. Veſtes tam Sacerdotales, quàm Altarium variabit juxta rubricas Miſſalis. Deſcribet etiam in Cathalogo affixo ad Lavatorium Sacra celebranda ſuo ordine à Presbyteris. Item cujusvis hebdomadæ feſta, & officia; Sæculares autem, ſpecialiter fæminas nunquam intromittet ad Sacriſtiam, niſi fuerint magnæ familiæ, & de licentia ſui Superioris, Benefactorum nomina qualibet hebdomada in regeſtro conſcripta, Prælato præſentabit, ut is in Capitulo hebdomadali commendet eos orationibus, & Sacrificiis Conventualibus. Advenas Presbyteros ad Altare non admittat niſi patentes ſui Sacerdotii, vel obedientiam Superiorum exhibuerint, tabulam Fratrum pro ſervitiis in templo à Superiore ordinatam, vel approbatam curabit obſervari, & pro legitimè occupatis alios ſubminiſtrare, vigilantiæ impensè vacabit, & ſtatutis horis, pro officio Divino, & Miſſis perſolvendis pulſus campanæ dabit; porrò ad Matutinum, Primam, & Veſperas bis pulſet, ita ut primus pulſus ſit brevis, ſecundus verò tam longus, ut à principio illius poſſint conuenire Fratres de omni loco in quocumque fuerint ad Eccleſiam; ſpatium verò quod eſt inter duo ſigna, debet eſſe tam prolixum, ut de neceſſitatibus ſuis valeant ſe expedire Fratres, ſicut & pulſus ipſe ad alias horas. Ut autem ſuo tempore pulſetur, habeat horologium cum excitatorio benè ordinatum; manè, meridiè, & Veſperi pulſum, qui vulgò dicitur pro ſalutatione Angelica non negligat. Demùm poſt examen conſcientiæ ante cubitum, faciat per tres ictus campanæ, ter pulſum ad orationem pro Defunctis. Obligationes perpetuæ Miſſarum, Officiorum, & Anniverſariorum illius Eccleſiæ, nec non caſus Bullæ Cœnæ Domini, & alii Ordinariis reſervati in tabula aliqua deſcribantur, & in patenti loco affigantur, quorum omnium perfectam notitiam tenetur habere, ut alios inſtruat, dum fuerit neceſſe.

3. Theſauri etiam Eccleſiæ, & omnium paramentorum illius in

in auro, argento, caſulis, pluvialibus, & his ſimilibus, duo ſint inventaria, unum deponetur in arca, in qua privilegia, & cæteræ Scripturæ Conventûs aſſervantur, juxta quod Viſitator rationem faciet cum Sacriſta. Alterum ſit penes Sacriſtam, in quo inſcribet ea omnia, quæ fuerunt induſtria ejus comparata, vel liberalitate Benefactorum donata. Ipſe autem laboret, ut apparatus Eccleſiæ ſub tempus regiminis ipſius augeatur, & non diminuatur, omnibus affabilem ſe exhibeat, omnibus æquali affectu ſua obſequia impendat, cum Sæcularibus ſpecialiter familiæ nobilioris benignè, & humiliter agat, & prompta ſuorum obſequiorum alacritate piis deſideriis eorum ſatisfacere, ac demùm gratiam Benefactorum Eccleſiæ conciliare ſatagat.

4. Ipſius eſt procurare lumen in Dormitorio, Refectorio tempore hyemis tenebroſo, ſimiliter dum Fratres vadunt ad Matutinum, ad Proceſſiones, præſertim Corporis Chriſti, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, candelas Fratribus ſubminiſtrare, carbones in parellam congerere in frigoribus.

5. Præter alia requiſita templi, & Altarium, habeat oleum infirmorum pro danda extrema Unctione Fratribus infirmis, quod decenter in vaſe argenteo aſſervet in Sacrario, Sepulturam extraneis non concedat, niſi ad conſenſum Prælati, tempore verò ſuæ mutationis Succeſſori juxta Inventarium in præſentia duorum Fratrum reddat, Theſaurum, ac omnia paramenta Eccleſiæ, quorum Inventarium unum in Arca Conventûs reponi, alterum autem novo Sacriſtæ tradi debet ſubſcriptum utrumque ab iis, qui fuerunt præſentes à Priore deputati.

CAPUT XVI.

De Officio Rectoris Chori.

1. AD officium Cantoris pertinet optimè callere rubricas Missalis, & Breviarii Romani, cantum, & accentum Ordinis, ut juxta præscriptum illius dirigat Chorum, quod si fuerint cantus novi, & difficiles, maximè ubi est usus musicæ figuratæ convocet horâ recreationis post prandium omnes Fratres, & Presbyteros Musicos, cui omninò obtemperare debent, quocumque tempore vocantur ad cantum sub pœna arbitraria Superioris ad probandum, ne in publico loco symphoniæ confusionem faciant. Idem attendet ad Festa majora, & minora, Antiphonas duplicandas, puncta inter Officium Divinum recitandum, vel cantandum servanda, & festinantes reprimat, & ad æqualem cursum cum aliis coarctet.

2. Si verò necessitas exiget, habeat Succentorem, qui eum in cantu adjuvet, & Fratres juniores quolibet die post prandium Choralem cantum, & accentum Ordinis doceat.

3. Idem Cantor curabit apud Superiorem, vt libri benè correcti, & sufficientes quoad Chorum habeantur, attendens quomodo in pulpitum apponantur, quomodo recondantur, quando, & quale *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Offertorium*, *Sanctus*, & his similia debeant cantari, corrigendo errores in Choro non solùm quoad cantum, & accentum, sed etiam quoad genuflexiones, & inclinationes tempore Officij Divini contingentes in absentia Superioris, negligentes quosvis, multomagis protervos, & contemptores suæ admonitionis deferat Prælato, aut ejus Vicesgerenti.

4. Denique dum tardè surgitur ad Matutinum sive ex errore, sive ex negligentia id contingat, Superiorem commoneat, ut suo tempore hoc, & alias horas canonicas persolvi faciat. Anniversaria, Capitula, Missas celebrandas Fratribus significet, certificatus à Sacrista.

CAPUT XVII.

De Officio minoris Collegæ destinati ad obsequium Patris Generalis, vel Provincialis.

1. MINOR Collega destinatus obsequio Patris Generalis ordinariè ex Presbyteris ad hoc munus assumi debet, qui sobrietatem, pudicitiam, agilitatem, vigilantiam, & pietatem maximè colat. Et licet interdum Choro, & aliis officiis propter occupationes communes, & assistentiam Prioris Generalis interesse non possit, non tamen Sacrificium Missæ, & meditationem absoluto Divino Officio intermittat.

2. Ad officium minoris Collegæ pertinet visa, & audita Secretario communicare, nec de facili omnia tanquam vera, & indubitata eidem deferat; circa vestes, libros, sigilla officii, sarcinas utriusque, & alia ad officium pertinentia attendat, ut omnia sint integra, & munda.

3. Denique, quæ audierit à Patre Generali, vel Provinciali, & Secretario, profundo silentio celet; hospitium commodum, & honestum in itinere quærat, & omnia in promptu habeat, quæ ad usum quotidianum requiruntur. Eadem de Collega minore destinato ad obsequium Provincialis commendantur.

CAPUT XVIII.

De Hebdomadario.

1. OFficium Hebdomadarii principale eſt, Miſſam Conventualem cantare, aut legere, & pro toto Conventu apud Deum interpellare. Diligenter advertat, nè in Officio Divino tam ad Altare, quàm in Choro errores aliquos committat, ſed ante primas Veſperas, & alias horas prævideat omnia officia, Capitula, Orationes, Evangelia cum Homiliis, & his ſimilia ad evitandam confuſionem.

2. Ejuſdem Officii eſt clara voce, & intelligibili aperto capite (facto ſigno Crucis) ſequentia incipere, & intonare. In Matutinis: *Domine labia mea aperies &c.* In aliis horis: *Deus in adjutorium &c.* Totumque id faciet, quod in Miſſali, & Breviario Romano præſcribitur.

3. Memoriæ ſuæ non confidat, ſed omnia ut abſolutiones, Capitula, & alia quævis ex libro dicat.

4. Ad eundem ſpectat, niſi tunc Prælatus ipſe celebrantem agat, incenſare Altaria in Feſtis ſolemnioribus juxta Ritualia Eccleſiarum. In fine cujuſvis lecturæ vocem aliquantulum extollat, & ultimas ſyllabas protrahat, ut cognoſcatur finiviſſe.

5. Completo Divino Officio libros claudat, & det Acolytho, vel Clerico, qui eos reponat in locis ſuis. Primus ingrediatur, & ultimus exeat Choro; ſequenti autem hebdomada ipſius erit, primam Miſſam celebrare, vel cantare, tertia hebdomadâ celebrabit Miſſas juxta ordinationem Superioris, ac conſuetudinem locorum.

CA-

CAPUT XIX.

De Lectore Chori, & Menſæ.

1. IN omni lectione ſpecialiter in iis, quæ cantari, vel intonari debebunt ſive fuerint Evangelia, ſive Epiſtolæ, Capitula, Orationes, & his ſimilia, diligenter invigilent, & attendant Lectores, ut verba ſingula proferant diſtinctè, & clarè, non præcipitanter, ut ab omnibus audiri, & intelligi poſſint, & ne confundantur, tempeſtivè omnia prævideant, ſi quæ ignoraverint interrogent, præſertim à Suppriore, & Cantore. In Matutinis precibus, lectiones, Fratres juniores ſaltem Clerici abſolvant, Homilias Hebdomadarii Patres, lectiones quando ſunt cantandæ à junioribus incipiendo cantabuntur, ultimam Hebdomadarius abſolvet.

2. Quicumque habuerit hoc officium Lectoris in Choro, vel alibi in Conventu ex libro manibus poſitis punctatim cum mora, ſeu pauſa, ſonora voce, mediocri tamen; diſtinctè leget, dum petit benedictionem, ſtans profundam faciet inclinationem, obvertendo priùs faciem ad Altare, & poſteà ad Hebdomadarium, nec unquam incipiet lectionem antequam omnes in ſuis locis ſedeant, & omnis ſtrepitus ceſſet. Interim Superior loci, vel Viceſgerens ipſius attendat, ne quo tumultu auditus aliorum inquietetur.

3. Lector Menſæ, libros pro lectione convenienti horâ ante Menſam, apertos habeat, quando leget attendat, in quo emendetur, & emendatus aſſurgendo repetat cum omni humilitate, tam diù donec corrigat errorem. Tandem ad ſignum Prælati finiet lectionem, dicendo: *Tu autem Domine &c.* ut & in collatione veſpertina.

4. Cum autem librum incipiet legere præmittat titulum libri, videlicet Caput primum Numerorum, Levitici, *&c.* Si autem

à medio Capituli erit legendum, tum dicat continuatio Capitis de Pœnitentia, de Prudentia, &c.

5. Lectiones peculiares pro Festis assignentur à Superiore. Quando extranei aderunt Mensæ designentur Lectores magis idonei, quod observetur etiam in aliis actionibus Ecclesiasticis publicis.

CAPUT XX.

De Officio Procuratoris Conventûs.

1. OMnes Conventus Ordinis nostri habebunt Provisorem unum de medio Fratrum prudentem, temperantem, quietum, non pigrum, nec avarum, qui sit bonæ famæ, & laudabilis vitæ; ejus officii est inquirere diligenter, quid desit Conventui, quoad victum, & amictum Fratribus administrandum, ut tempestivè proprio studio necessitatibus communibus provideat in futura tempora; Subditorum Sæcularium, sive rusticorum, querelas libenter audiat, causas eorum nunquam sine præsentia sui Prælati judicet, nisi ipse aliud ordinet, nec facilè relatis eorum credat, & non nisi auditis partibus Superiorem de contentione eorum informet, ut justa decernat; caveat etiam ne eos insolitis pœnis, & oneribus aggravet, ne plus uni, quàm alteri faveat, sit prætereà sollicitus de reparatione stillicidiorum Ecclesiæ, & Conventûs, attendat ad culturam, & seminaturam agrorum, sæpiùs cum socio visitet bona Conventûs, ne aliquid detrimenti per negligentiam ipsius Monasterium patiatur.

2. Singulis mensibus rationem exigat ab Officialibus Villarum, Prædiorum, juxta Inventarium rerum mobilium, & immobilium; ipse autem omnes proventus, quacumque viâ, & modo Conventui per manus ejus obvenientes Superiori, aut Depositario fideliter tradat, in quem finem habeat librum sui Offi-

Officii, in quo exactè describat omnes perceptas, impensas, & debita activa, & passiva, nunquam verò ipse debita contrahat sine expressa licentia Prælati sub pœna carcerum unius hebdomadæ in pane, & aqua.

3. Noverit itidem omnes agros, vineas, prata, piscinas, Sylvas, & his similia cum limitibus eorum descriptis, ut Superiorem de periculo damni, si quod eis immineat tempestivè præmoneat.

4. Et quamvis exemplo Marthæ, cujus Officium gerit, erga multa debeat esse sollicitus pro utilitate Conventûs, tamen rigorem Monasticæ vitæ, & ordinarias mortificationes, silentium, & solitudinem Cellæ non subterfugiat, sed ad eam, sicuti ad portum salutis suæ securum revertatur, dum negotia Conventûs permittunt, ut cum aliis orando, legendo, meditando, evagationes mentis expellat, quas ipsi cura rerum temporalium ingesserat. Quod si fuerit Presbyter, singulis diebus quantùm fieri poterit, Sacrum per se absolvat, vel adminùs audiat, antequam è Monasterio ad negotia peragenda exeat.

5. Nullo modo cum personis externis contra decentiam statûs religiosi negotiari præsumat.

6. Ad ejusdem Procuratoris curam pertinet familia Conventûs, nè quempiam sine commendatione aliorum de vita, & conversatione honesta suscipiat. Cogat omnes ad audiendam concionem, ad Sacrum diebus Dominicis, & Festivis, solemnioribus autem Festis etiam ad Confessionem, & Sacram Communionem. Sæpiùs de vita, & moribus ipsorum inquirat, & singulos doceat, ut omnes Fratres etiam Conversos cum omni reverentiâ & modestiâ alloquantur, nec omittant communia obsequia Conventûs, propter particularia servitia Fratrum, mercedem itidem debitam habeant suo tempore, & vestes honestas in colore, & factura juxta staturam uniuscujusque. Quando verò aliquis erit dimittendus fiat id cum plena satisfactione, ut non cum infamia, sed cum commendatione Monasterii discedat, aliàs ipse propter mercedem injustè detentam à Confessario absolvi non poterit.

CA-

CAPUT XXI.

De Infirmaria, Infirmario, & Infirmis.

1. VALETUDINARIUM in singulis Conventibus, certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero quoad fieri potest commodissimum esse possit cum suis Officinis, Apotheca Aromataria, ac suppellectili necessaria, atque cum Imaginibus ad devotionem, & patientiam commoventibus. Huic sit contiguum Oratorium pro Missa ab ægrotis audienda, vel celebranda.

2. Frater, vel Superior si per ejus culpam, vel negligentiam Fratrem aliquem mori contigerit, vel si absque Sacramentis, & Religiosis auxiliis, ac assistentiâ decesserit præter pænas à Jure, aut à Constitutionibus Apostolicis statutas, pænis etiam culpæ gravis, arbitrio Generalis, vel Provincialis juxta culpæ, & negligentiæ qualitatem puniantur.

3. Omnes proinde Superiores sufficientem provisionem, & diligentem curam circa Infirmos cujuscumque qualitatis fuerint, habeant, si Infirmus domi non possit habere Medicum mittatur cum socio ad talem locum, ubi de consilio Medici recuperet sanitatem, dummodò periculum majoris infirmitatis non præpediat iter, in quo casu provideat de Medico, vel Chirurgo Superior. Infirmi in principio infirmitatis statim confiteantur, & communicent, solita jejunia non debent frangere, nisi ob gravem infirmitatem. Cura talium Infirmorum committatur alicui Fratri charitativo timenti Deum, & potenti ad sufferendas molestias Infirmorum, sit idem compassivus in eorum necessitatibus, affabilis in verbis, providus, & discretus in procurandis, custodiendis, ministrandis omnibus necessariis, nec nimis parcus, nec prodigus in distribuendis.

4. Ad

4. Ad officium ejus pertinet habere curam omnium, quæ ad infirmariam, & infirmos pertinent, & sine defectu aliquo providere tempestivè ea omnia, quibus obvenientibus casibus ordinariis, vel extra ordinariis possit subvenire. Undè dum quempiam ex Fratribus in templo, vel Refectorio horis debitis viderit non adesse, advertat num aliquâ infirmitate detineatur, ac Superiorem certificet; casu, quo multi Infirmi diversis morbis in Infirmariis detinerentur, habeat Coadjutorem ex mandato Superioris, morbo languentibus semper servitor assistat.

5. Nullus Religiosorum intromittet se in officium Medici, vel Chirurgi, exceptis iis, qui eam artem ante ingressum Religionis in Sæculo exercuerunt, quibus poterit Pater Generalis, vel Provincialis cum Definitoribus eam licentiam concedere, dummodò non interveniat abscissio alicujus membri, neque adustio, excepto casu extremæ necessitatis. Presbyteris, & Clericis, qui cum altero poterunt horas canonicas recitare socius assignetur. Superior sæpiùs visitet Infirmos, maximè periculoso, & gravi morbo laborantes, exhortando eos ad patientiam, contritionem peccatorum, ad Sacramentum Extremæ Unctionis, verbis blandis, & devotis; si verò aliquis Infirmus phræneſi, aut alia aliqua ex causa ratione privetur, & minùs decentia verba, aut signa faceret, quàm conveniat, Superior destinabit paucos, & certos, maximè eos, ad quos habebat confidentiam, ut cum eo conversentur.

6. Infirmi etiam procurent colligere fructum spiritualem ex infirmitatibus corporis. Interiorem patientiam exteriori comprobando, ut verba sacrosancta *Jesus*, *Maria*, nec non alia bonæ ædificationis semper in ore habeant, caventes maximè ne impatientiæ, præsumptionis, aut desperationis, vel infidelitatis laqueis à dæmone irretiantur.

7. Superior habitâ informatione Infirmarii providebit ea omnia, quæ fuerint necessaria ad curam Infirmorum, etiamsi propter defectum domûs, calices, vel quidpiam aliud esset oppignorandum, maximè si infirmitas naturalis fuerit, vel contracta non ex vitio, vel pravâ consuetudine Infirmi. Infirmi autem non debent esse importuni, nec molesti suo Servitori, sed

pro-

provisione factâ, ex patrimonio Christi sint contenti, uti decet pauperes. Infirmarius loquatur modestè, ne Infirmos molestet. Qui ex Infirmis molestus esset aliis, vel Infirmario, aut quidpiam dignum pœnâ faceret, Superior pro tunc reprehendat eum, pœnam verò dissimulet, & suo tempore delinquenti imponat. Ante Completorium, vel post detur Infirmis communis absolutio quotidiè cum aspersione aquæ benedictæ.

8. Dum aliquis ex Infirmis unius Conventûs ad alium mittitur pro faciliori remedio sanitatis, Superior Infirmi subditi sui, omnes sumptus debet facere, & illi Conventui totum restituere quidquid pro Subdito illius Infirmi expendit.

9. Qui ex Superioribus negligentes fuerint in visitandis Infirmis sui Conventûs, vel per negligentiam non providerint Infirmariam, & alia pertinentia ad curam Infirmi, moneantur à Fratribus per Seniorem, quod si se non emendaverint, deferantur ad Patrem Generalem, vel Provincialem, ut acrius reprehendantur in præsentia omnium. Quod si nec tunc se emendaverint, & convicti fuerint, officio suo priventur, quo casu informatio erit requirenda ab Infirmario, & aliquibus Infirmis, tam præteritis, quam præsentibus. Quod si Prior Provincialis, aut quispiam alius Visitator vices ejus gerens convictum de tali negligentia ab officio Prælationis non dimoveret, in Capitulo per Definitorium gravius puniatur.

CAPUT XXII.

De Fratribus Agonizantibus.

1. MORBO ingravescente Infirmus ex mandato Superioris inquiratur diligenter, an teneatur ad restitutionem bonorum, aut famæ? vel an habeat aliquam rem penes se sine scitu Superioris? posteà curet Superior, ut Infirmus eliciat actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, finitaque super illum interrogatione ex Rituali Romano, alia faciat pro dispositione subjecti; cùm Infirmus fue-

fuerit in extremis, de die, & nocte habeat semper custodes Fratres, quem universus Conventus orationibus, & Sacrificiis conabitur adjuvare: Superior autem destinabit certos Patres, qui assistant animæ suæ transituræ ad patriam, observantes præscripta in Rituali Romano.

2. Si aliquis ex Religiosis, aut Familia Conventûs per negligentiam Superioris moreretur sine Sacramentis, sine ulla dispensatione Superior talis privetur suo officio, & inhabilis denuncietur ad omnes dignitates. In ultimo articulo vitæ Infirmi, ad sonum campanæ datum per Infirmarium omnes sine mora, & expectatione quocumque tempore evenerit ad Infirmariam conveniant, ibi cum omni devotione officium præscriptum recitent pro commendanda anima Agonizantis. Tum per Superiorem absolutio plenaria Agonizanti ex speciali concessione felicis recordationis Martini V. detur.

ABSOLUTIO GENERALIS

Pro Agonizantibus

Ex antiquo Ordinis nostri Breviario.

DICATUR à Circumstantibus *Confiteor &c.* post quod Superior subjungat, *Misereatur tui Omnipotens Deus &c.* ℟. Amen. *Indulgentiam absolutionem &c.* ℟. Amen.

Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam, & per merita suæ dignissimæ Passionis te absolvat: & Ego authoritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & Beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli, ac authoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialiter Ordini nostro, & singulis Fratribus ejus concessa, absolvo te ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, à transgressione, & negligentia Divinorum præceptorum,

ac salubrium statutorum Sanctorum Patrum, Ecclesiæ Dei, nec non Regulæ, & Constitutionum Ordinis tui: Et restituo te Sacramentis Sanctæ Matris Ecclesiæ, & reintegro te unitati ejusdem Ecclesiæ: do, & concedo tibi plenam remissionem, & indulgentiam peccatorum tuorum, & pœnarum, vigore indulgentiarum, quæ Ordini nostro fuerunt concessæ, quibus pro iisdem peccatis obnoxius existis, de quibus confessus fuisti, & velles confiteri, si eorum memoriam haberes; quantum claves ejusdem Ecclesiæ se extendunt, & gratum fuerit in oculis Divinæ Majestatis: quam remissionem, & gratiam Romani Pontifices censuerunt interdum per speciale Privilegium personis aliquibus impertiri. Quæ quidem remissio sit tibi in augmentum virtutis, & gratiæ, & in acquisitionem immediatè post tuum transitum gloriæ æternæ. In nomine Patris, & Filii, ✝ & Spiritûs Sancti. ℟. Amen.

Alia Absolutio Communis.

DIcatur ut supra ab Infirmo *Confiteor &c.* post quod subjungat Confessarius. *Misereatur tui Omnipotens Deus &c.* ℟. *Amen. Indulgentiam absolutionem &c.* ℟. *Amen.*

Dominus noster Jesus Christus, per suam piissimam misericordiam, & merita suæ dignissimæ Passionis te absolvat: & ego authoritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & authoritate Apostolorum ejus Petri, & Pauli, nec non authoritate Sacerdotali, quâ fungor, absolvo te ab omnibus peccatis tuis, Deo, & mihi modò confessis, oblitis, & à circumstantiis eorundem: qualiter, & quotiescumque Dominum Deum Creatorem tuum offendisti, & animam tuam maculasti; ut sis absolutus coram Deo, & Sanctis Angelis ejus. In nomine Patris, & Filii, ✝ & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Quod si ista pœnitentia per me injuncta non esset sufficiens, aut condigna, suppleant merita Passionis Domini nostri Jesu Christi, & merita Gloriosissimæ Virginis Mariæ, nec non labor, & rigor Ordinis, patientia in adversis, humilitas istius Sanctissimæ

mæ Confessionis, & omnia bona opera, quæ feci sti, aut quæ proponis facere in sancta Religione sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, & augmentum Divinæ gratiæ. ℟. Amen.

Post utramque hanc absolutionem addat Superior, vel Confessarius. Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum. Passio Domini nostri Jesu Christi &c. ℟. Amen.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, sitque Protector tuus, & Defensor vitæ, ac mortis tuæ. ℟. Amen.

3. Ubi verò spiritus à corpore erit separatus, mortuus induatur per personas ad id destinatas, habitu, scapulari, capucio, præcinctus cingulo, & coopertus cappâ, sic indutus deportetur ad locum destinatum, ubi ponentur candelæ accensæ cum Cruce, & aqua benedicta, & tunc Superior distribuet tempus Conventualibus, quorum bini suis horis Psalterium recitent pro defuncto cum *Requiem æternam &c.* usque ad horam suæ sepulturæ. Quod si quispiam moriatur subitanea morte ante decursum vigintiquatuor horarum nequaquam sepeliatur, interim per Superiorem commendetur anima ipsius Fratribus; ut autem juxta præscriptum Constitutionum satisfiat obligationi, obitus defuncti quanto citiùs Conventibus Provinciæ, aliisque per Superiorem intimetur.

4. Statuimus etiam, ut in Ecclesiis nostris separata sepulchra procurentur, in quibus nonnisi magni Benefactores, & Fundatores cum Fratribus deponantur.

5. Res demortui Fratris cedant illi Monasterio, de cujus fuerat residentia ad usum ei concessæ, exceptis vestibus; quæ poterunt Vestiario applicari illius Conventûs, in quo eum mors deprehenderit. Item exceptis rebus Prioris Generalis, vel Provincialis, quæ ad officium Successoris pertineant. Idem judicium erit de rebus fugitivorum, condemnatorum ad carceres perpetuos, quod defunctorum.

CAPUT XXIII.

De Receptione Hoſpitum.

1. QUILIBET Superior Ordinis noſtri unum ex Patribus deſignet, bonis moribus præditum, promptum, & diligentem in ſervitiis, prudentem in loquela, qui Fratres hoſpites excipiat, & religiosè ſciat ſe accommodare omnibus, poterit, & Socium habere dum frequentia hoſpitum id exiget. Porrò hoſpitium commune quilibet Conventus habeat ſeparatum quantum fieri poterit à Dormitorio Fratrum; in eodem hoſpitio ſint lecti honeſti ſecundùm paupertatem Religioſam, ſi hoſpites tardè venerint Præfectus hoſpitii procurabit ex communi Conventûs diſpenſa, & cellario menſam prout Superior ordinaverit; Fratres hoſpites non diſcurrant per aliorum Cellas contenti hoſpitio ſibi aſſignato, & ſi venerint tempore ſilentii cum nullo alio loquantur, niſi cum eo, qui fuerit deſtinatus ad ſervitium eorum, idque voce ſubmiſſa.

2. Ad officium Præfecti hoſpitii pertinet attendere ne quid minùs indecorum, & diſſolutum fiat in hoſpitio, & de his omnibus Superiorem reddet certiorem. Fratres hoſpites ubi pervenerint ad aliquod Monaſterium, exhibeant obedientiam ſui Superioris in ſcriptis expreſſam Prælato illius Conventûs, & tum per tres dies liberi à Choro, charitativè tractentur, quibus elapſis, ſubeant onera Conventûs cum aliis ibidem reſidentibus, niſi negotia aliqua habeant commiſſa, quæ longiori tempore indigeant. Si ſine litteris obedientialibus venerint, detineantur uſque ad informationem ſui Superioris. Fratres autem hoſpites ſub obedientia Superioris domûs manebunt, & cum Socio deputato ad negotia conficienda mittentur.

3. Prætereà nullus Religioſorum noſtrorum cujuſcumque dignitatis audeat dormire extra Conventum in iis locis, ubi Mo-

Monaſterium habetur ſub pœna carcerum per tres dies in pane, & aqua. Quod ſi aliquid tale committeret, quod meretur pœnam, damus plenam poteſtatem Superiori, ut in eum animadvertat ſecundùm præſcripta Conſtitutionum, non ſecùs acſi ſuus ſubditus eſſet; ſi verò Superior non poſſet abſque ſcandalo pœnitentiam imponere, tum claram, & plenam informationem ipſius legitimo Superiori, vel ipſi Provinciali cum omnibus circumſtantiis factum delinquentis aggravantibus tranſmittat. Homicidæ verò, & alii fugientes ad Clauſtra noſtra propter ſecuritatem vitæ, quantò citiùs expediantur, nec ultra quinque dies detineantur, (ita tamen, ut loci immunitas, & libertas Eccleſiæ non lædatur) niſi per Juſtitiam, vel Inimicos quærantur, quo caſu Superior de conſilio aliquot Patrum poterit ipſos celare, dummodò ſerventur in loco totaliter à Religioſis remoto, ne ullus eos alloquatur ſine ſpeciali licentia Superioris.

4. Venientibus de longa via Fratribus pro conſuetudine pedes laventur, ſine diſpendio diſciplinæ Religioſæ, à Fratribus; quos Superior deſtinabit, & dicantur ſequentes preces alternatim. In primis:

*Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: * illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

*Ut cognoſcamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus ſalutare tuum.*

*Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.*

*Lætentur, & exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

*Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum ſuum.*

*Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

*Ecce quàm bonum, & quàm jucundum: * habitare fratres in unum.*

*Sicut unguentum in capite: * quod deſcendit in Barbam, Barbam Aaron.*

Quod

*Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

*Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * & vitam usque in sæculum.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

*Ecce nunc benedicite Dominum: * omnes servi Domini.*

*Qui statis in domo Domini: * in atriis domûs Dei nostri.*

*In noctibus extollite manus vestras in sancta: * & benedicite Dominum.*

*Benedicat te Dominus ex Sion: * qui fecit cælum, & terram.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Suscepimus Deus misericordiam tuam.*

℟. *In medio templi tui.*

℣. *Tu mandasti.*

℟. *Mandata tua custodiri nimis.*

℣. *Tu lavasti pedes Discipulorum tuorum.*

℟. *Opera manuum tuarum ne despicias.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Adesto Domine servitutis nostræ officio, qui pedes Apostolorum tuorum lavare dignatus es, ne despicias opera mandatorum tuorum, quæ nobis retinenda præcepisti; ut sicut hìc exteriora abluuntur inquinamenta, sic ante te omnium nostrûm laventur peccata. Qui vivis &c.

Oremus.

Deus, qui Apostolorum tuorum pedes abluens, piique affectûs nobis exemplum præbens charitatis mandatum dedisti, tribue

bue quæsumus; ut obsequiis mandatorum tuorum parentes, de tuo sine fine lætemur aspectu.

Omnipotens sempiterne Deus da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c. ℟. *Amen.*

CAPUT XXIV.

De Officio Bibliothecarii.

1. Habeat Bibliothecarius Catalogum Librorum omnium ordinatè descriptum, quos etiam bona dispositione in suis locis collocet. Ut in alio loco sint Theologi, Scholastici, Mystici, Concionatores, Casistæ, & in alio Philosophi, Historici, Politici, Rhetores, & alii prophani; ex Indice Librorum prohibitorum discat, qui sint libri, vel suspensi, vel prohibiti, & circa eos servet Decreta Sacræ Congregationis Indicis.

2. Nemini extra Conventum sub privatione vocis activæ, & Passivæ ad duos annos ullum librum ex Bibliotheca concedat sine licentia expressa Prælati, cui rigorosè præcipitur sub pæna proprietariorum ne audeat sine consensu sui Conventûs quosvis libros Bibliothecæ donare, vendere, alienare, vel oppignorare; eidem pænæ ii subjacebunt, qui libros quovis modo acquisitos alienare præsumpserint sine expressa licentia Superioris, quam non debebit concedere, nisi in gravi necessitate, vel evidenti commodo, si scilicet illi vendantur, ut minùs necessarii, & alii magis utiles eadem pecuniâ comparentur. Authores talium alienationum, libros sine licentia Superioris alienatos à Possessoribus malæ fidei recuperabunt, aliàs non absolvendi à Confessariis.

3. Et ut Libri Conventûs ab aliis dignoscantur, Bibliothecarius in primo folio cujusvis Libri faciet inscriptionem talem. Iste liber est N. Conventûs Ordinis Eremitarum Sancti Pauli primi Ere-

Eremitæ, quem dedit, vel comparavit talis N. Extranei ad Bibliothecam non admittantur ſine licentia Prælati, nec ſoli relinquantur ſub pœna diſciplinæ pro qualibet vice; Fratres accipientes aliquos libros ex Bibliotheca propriâ manu ſe ſubſcribant in Regeſtro Bibliothecæ, quo die, & quos Libros acceperint: primâ hebdomadâ poſt Paſcha Librorum dabit rationem Superiori juxta Inventarium Bibliothecæ: id ipſum faciet, dum alter in locum ejus ſuccedet. Quod ſi cui externo aliquos Libros ad uſum conceſſerit de conſenſu Superioris, ſtatim ſcribat in regeſtro diem, perſonam, & tempus, quo liber ſit reddendus; manuſcripta ſi ſint magnorum virorum in loco ſeparato, & convenienti reponantur.

4. Libros, qui rarò aperiri ſolent ſæpiùs purget, & moveat, munditiem in Bibliotheca obſervet, videatque ne aliquibus ſtillicidiis, aut putore loci conſumantur. Superiori loci quotannis in memoriam revocet augmentum Bibliothecæ, cætera quæ ad libros ſpectant, agat cum conſilio Supprioris.

CAPUT XXV.

De Janitore.

1. AD ſonum campanæ Janitor ſit ſollicitus, nec priùs aperiat portam, antequàm per feneſtram videat qualitatem perſonæ venientis, quæ ſi fuerit ejus conditionis, ut non requirat intromiſſionem per feneſtram portæ expediatur modeſtè.

2. Si ex Fratribus aliquis tempore Divini Officii dum dicitur in Choro, tempore Capituli, prandii, aut cænæ, aut etiam ſilentii ad portam vocabitur, nunquam petat licentiam à Superiore pro illo vocando, niſi fuerit urgens neceſſitas. Quòd ſi aliqua fuerit perſona gravis, aut Religioſa cum alacritate, & reverentiâ ad interiorem ambitum Monaſterii, vel aliquem locum honeſtum intromittatur, & ſine mora ſignificet Superiori.

3. Superiores nec faciles ſint ad dandam licentiam introducendi Sæculares inter clauſtra Monaſterii, nec ducantur ad hortos Conventûs, multò minùs per totum clauſtrum niſi ſint magni viri.

4. Portæ, & Januæ Monaſterii ſuperfluæ non permittantur, ut in omnibus quieti Fratrum conſulatur, & fama illorum integra apud omnes permaneat; poſt datum ſignum pro ſilentio immediatè porta Monaſterii claudatur, & claves referantur ad Superiorem, in cujus cella ſub cuſtodia debent ſervari tota nocte, niſi aliqua cauſa rationabilis aliud ſuaſerit; quandoque Superior cum Socio videat, an facta ſit firmiter Monaſterii pro nocte clauſura?

5. Porrò Superior loci qui fuerit negligens in ſervanda clauſura portæ, nec ſufficientem Janitorem providerit, in prima viſitatione reprehendatur: in ſecunda officio ſuo privetur; cum fuerit ad menſam Portarius, poterunt etiam Presbyteri ad cuſtodiam portæ in ſignum humilitatis exercendæ deſtinari.

Finito prandio ordinarius Janitor diſtribuet eleemoſynam pauperibus pro poſſibilitate domûs habendo compaſſionem ſupra magis indigentes.

6. Superior curabit attendi, ne familia nocturnis horis vacet compotationi, aut aliis levitatibus parum decentibus, ſcandaloſos faciat dimitti, videat ne aliquis ex Fratribus indiſcretè habens lumen in cella præbeat anſam incendio. Ipſum denique Janitorem frequenter examinabit de induſtria, & fidelitate, & ſi neceſſe fuerit officio privabit.

CAPUT XXVI.

De Archiviis Ordinis, Provinciarum, & Conventuum.

1. PRIMUM Archivium ſit in reſidentia Patris Generalis, in quo ſerventur privilegia Ordinis à Sede Apoſtolica, vel Sacra Cæſarea Majeſtate, aut à piis Regibus toti Ordini conceſſa. Item liber, in quo tranſumpta præ-

dictorum contineantur, similiter decisiones Definitoriorum Generalium, si quas fortè supra dubia Constitutionum, vel Provinciarum formabunt, cum subscriptione Patris Generalis, Definitorii, ac Secretarii; porrò prædicta in bona clausura, & in Arca benè obfirmata asserventur sub duabus clavibus, quas designati Patres à Patre Generali penes se habebunt, nec sine licentia ejusdem prædicta ad describendum concedent.

2. Propter periculum autem incendii, aut alicujus vastationis repentinæ, aliud exemplar librorum prædictorum authenticatum habeatur in Monasterio alterius Provinciæ munitiore sub custodia Prioris, & unius Patris senioris illius Conventûs à Patre Generali designati.

3. Ad eundem modum Archivia sua habebunt omnes Provinciæ, & Conventus, in quibus Privilegia Ordinis, acta Capituli, Visitationes particulares, Ordinationes, numerus Fratrum Professorum, tam vivorum, quàm mortuorum, cum descriptione illorum vitæ, reponantur; item descriptiones illorum fundationis cum suis obligationibus, bonorum immobilium, cum suis limitibus, ac rerum templi, denique debitorum, bonorumque mobilium subditorum cum eorum debitis laboribus, ac tributis in libris honestè, firmiterque compositis habeantur, ac in certis, distinctisque loculis sub diligenti custodia in tutis locis conserventur. Quæ omnia Visitatoribus in eorum visitationibus Superiores præsentare tenebuntur.

CAPUT XXVII.

De Sigillo Ordinis, Provinciarum, ac Conventuum.

1. SIGILLUM Ordinis duplex sit, habens Imaginem Sancti Patris nostri, cui corvus deferat panem, circumcirca sint hæc verba: Sigillum majus, vel minus Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ Officii Generalatûs, vel Provincialatûs.

2. Ma-

2. Majoris usus erit in rebus substantialibus, ut in confirmationibus officialium, Missionibus extra Provinciam, & aliis negotiis majoris momenti, quæ vel authoritatem Generalis, vel robur perpetuum requirunt; minoris autem usus erit in rebus communibus uti litteris ad Fratres, aut sæculares.

3. Unusquisque Conventus habeat Sigillum cum inscriptione circumferentiali, Sigillum Conventûs N. N. nostri Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ.

4. Nullus Fratrum accipiet litteras sine benedictione Superioris, nec alio Sigillo firmabit, quàm ejusdem Superioris sui, sub pæna culpæ Part. 1. Cap. 30. num. 4. præscripta.

5. Permittitur tamen, ut hi, qui constituunt Definitorium Generale, vel Provinciale possint habere Sigilla officiis suis debita, sicut & Procurator Generalis.

CAPUT XXVIII.

De Depósito Ordinis, Provinciarum, & Conventuum.

1. PRO occurrentibus necessitatibus Ordinis omnes Provinciæ in Capitulis Generalibus faciant contributionem pecuniariam determinandam per Patrem Generalem cum suo Definitorio, quæ servetur in loco securo sub tribus clavibus, quarum unam habeat Reverendissimus Pater Generalis, secundam primus Definitor, tertiam Superior loci, nec liceat quidpiam inde accipere cuiquam etiam Patri Generali sine pleno consensu omnium Definitorum in scriptis, quem si dederint, ut aliquid inde accipiatur pro bono communi totius Ordinis, fiat semper id in horum trium præsentia.

2. Officio itidem Patrum Provincialium cum suis Definitoribus incumbet determinare certam summam unicuique Conventui, quæ ad Capitulum Provinciale debet ferri, & noviter

electo Provinciali cum Definitoribus extradi tantùm pro bono totius Provinciæ de consensu Patrum Definitorum.

3. Omnes etiam Conventus habeant suum depositum ad quod tenentur singuli Priores, quotannis certam summam pecuniæ à Patre Provinciali, & Definitoribus determinandam deponere, nec liceat Patribus Prioribus inde aliquid accipere sine consensu Supprioris, & Patris Senioris, quorum singuli habebunt ad dictum depositum diversas claves, ut unus sine altero non possit Arcam depositi aperire; eleemosyna autem obveniens Ecclesiæ in nullum alium usum convertatur, nisi pro paramentis Ecclesiasticis, structurâ, ac reparatione Ecclesiæ. Item notabilia legata Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ offeruntur nullatenus consumantur, sed in bonis immobilibus certis, & securis applicentur de consensu totius Conventûs. Qui secùs fecerint, vel contributionem ut supra descriptum est facere neglexerint, præter privationem officii, careant voce activâ, & passivâ ad triennium.

CAPUT XXIX.

De Visitatione.

1. PRIOR Generalis Ordinem totum bis in suo sexennio, Provincialis Provinciam singulis annis in persona sua, legitimè verò impeditus per commissarios visitet: Superiores autem locorum regimini suorum Monasteriorum sollicitè invigilent, & si quid visitatione peculiari dignum occurrit Provinciali, vel Generali denuntient.

2. Visitator Provinciæ sive alicujus Conventûs à Patre Generali, vel Provinciali substitutus, cum omni diligentia, maturitate, & æquitate munus suum exequatur, ita ut Fratrum culpas juxta Statuta Ordinis corrigat; si aliquam consuetudinem dissonam regulari observantiæ advertet, eam exterminet, & ad debitum vivendi modum, ac majorem devotionem Fratres redigat,

digat, nec ullo modo patiatur in aliquo Conventu etiam minimo, communes cæremonias, & Sanctas Institutiones à quoquam negligi, quæ particulares personas Fratrum concernunt, uti sunt Silentium, Meditationes, Jejunia, Capitula, Confessio, Communio &c.

3. Si contingat Visitatorem Generalem incidere in visitationem Patris Provincialis, ipsum Provincialem certificet de adventu suo, & ut à visitatione illa desistat, admoneat.

4. Primum locum Visitator tenebit cum Secretario suo etiam supra Priorem; functus autem officio suo, si morari illum diutiùs extra actum visitationis contigerit, juxta dignitatem Officii sui locum retinebit. Visitator autem attendere debet ne ullis blanditiis, donis, aut servitiis corrumpatur, nec lautas epulas admittat, sed cum gratiarum actione contentus sit eo quòd sibi honestè apponetur, sic se gerens, ut relinquat Fratribus virtutis exemplum.

5. Antequam inchoet visitationem certificet Superiorem loci, ut omnes Fratres pro certo die domi sint, quos finito de more Sacro ad locum opportunum per sonum Campanæ vocari faciat, ibique facto signo Sanctæ Crucis, dictoque *Benedicite &c.* Si fuerit substitutus litteras missionis suæ exhibeat Patribus, tum præstitâ sibi obedientiâ brevem sermonem faciat de aliqua re spirituali, Fratresque commoneat, ne quis eorum in tam solemni actu dicat res frivolas, & quod non excusabuntur à culpa dum occultabunt ea, quæ manifestanda essent, quæ ipsi per fraternam admonitionem, aut denunciationem secundùm Evangelium coram Superiore suo corrigere non poterant, deindè faciat legi antiquum Statutum Ordinis, quod sequitur.

6. Statuimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, quod nullus Priorum occultas compositiones ante adventum Visitatoris cum Fratribus, vel contra Fratres habere quoquo modo præsumat, unde aliqua ambitionis nota, odia, aut dissensiones oriri valeant. Secùs faciens præter reatum peccati mortalis per triennium careat honore Prælationis, insuper in Capitulo proximè venturo coram universis Fratribus tanquam animarum seductor, aut Prælationis cupidus, durius redarguatur, Fratres etiam subditi contra

tra ſuum Superiorem, vel alium ex Religione aliquas conſpirationes malignas ſtruentes præter læthalem culpam pænâ gravioris culpæ irremiſſibiliter punientur.

7. Nos itaque Frater N. hujus Provinciæ, vel Conventûs Sancti Pauli primi Eremitæ Viſitator, vos omnes, & ſingulos Patres, & Fratres hujus Conventûs ejuſdem Ordinis, ac profeſſionis rogamus, hortamur, & in Domino monemus primò, ſecundò, tertiò, & vobis in virtute Spiritûs Sancti præcipimus per obedientiam ſalutarem, quatenus remotis odio, timore, amore, pretio, & precibus nobis inquantum in Domino poteritis, dicatis veritatem in omnibus, de quibus à nobis requiſiti, vel interrogati fueritis, & inſuper ſi aliquid notabile ſcitis, vel audiviſtis de Venerabili Priore veſtro, vel Fratre aliquo, quod tolerari non debeat, nec deceat, illud nobis charitativè reveletis; attendentes ad verba Divi Auguſtini: in cæteris inveniendis, indicandis, judicandis, convincendiſque peccatis diligenter, & fideliter obſervetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum; nec vos judicetis eſſe malevolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non eſtis, ſi Fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.

8. Hæc autem ſunt, de quibus unumquemque veſtrum à nobis requiſitum, & interrogatum eſſe volumus, atque defacto requirimus, & interrogamus videlicet.

I. An ſit aliquis proprietarius in Conventu, vel qui rem ſibi collatam celet?

II. An aliquis Fratrum cum ſcandalo non alloquatur alterum?

III. Si divagationes ſæpiùs ex Conventu fiant, an examinentur à Superiore reverſi domum de converſatione regulari?

IV. Si aliquis in viſitandis mulieribus eſt frequens, aut cum illis minùs modeſtè ſe gerit.

V. An aliqui ſint notati de familiaritate perſonarum ſiniſtræ ſuſpicionis, vel hominum malæ famæ?

VI. Si intus, vel foris ſunt potatores, otio dediti, vel ludis utantur prohibitis.

VII. Si aliqui ſint aſſueti jurare, vel turpiter loqui etiam jocosè, unde alii ſcandalizentur.

VIII. An

VIII. An ſinguli debitè Priori ſuo ſubjiciantur.

IX. Si ſint qui frequenter cum propinquis, conſanguineis, aliiſque ſæcularibus agant, vel ſe eorum negotiis immiſceant?

X. Si Regula, & Conſtitutiones legantur, vel ſi aliquid ex iis, aliiſque ordinationibus, aut Superiorum quorumcumque præceptis, aut ſtatutis contemnatur. Ita ſcilicet, quod nec Prior Fratres ad obſervandum moneat, hortetur, nec tranſgreſſores aliquando, aut rarò reprehendat, & corrigat.

XI. An Divinum Officium ſedatè, clarè, punctatim cum debitis inclinationibus, aut circumſtantiis aliis perſolvatur?

XII. An Fratres præſcriptis temporibus confiteantur, communicentve?

XIII. An Miſſæ quatuor in hebdomada à quolibet abſolvantur.

XIV. An obligationibus Fundatorum, aliorumque Benefactorum quo ad omnia ſatisfiat?

XV. Si omnes ad Chorum, Refectorium, aliaque Communitatis officia conveniant.

XVI. An aliquis ſit ſuſpectus de horis non dicendis?

XVII. An Eccleſia, Sacriſtia, Sacræ veſtes, & alia, quæ ad cultum Divinum pertinent, debito, & religioſo modo ſerventur, præcipuè autem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, & ſi lampas die, ac nocte coram illo luceat?

XVIII. Quomodo ſervetur oleum pro infirmis, & reliquiæ Sanctorum?

An, & quomodo ſerviatur infirmis, & eis neceſſaria tribuantur?

XIX. Quomodo Fratres Juniores inſtruantur?

XX. An ſolita jejunia Ordinis ſine cauſa frangantur?

XXI. An ſtrictum ſilentium ſuis horis, ac locis obſervetur?

XXII. Si diebus ſtatutis Capitulum teneatur, & an omnes ad illud veniant?

XXIII. An Superior viſitet ſæpiùs cellas per annum, an ad Matutinum ſurgat, legeſque ſui officii obſervet, alioſque Officiales obſervare faciat?

XXIX. An

XXIV. An famuli ſint pacifici, honeſti, vel aliqui minùs neceſſarii?

9. His lectis præcipiat, ne ullus domo ſine licentia ſua egrediatur; poſt dimittat Capitulum, & cum Priore, & Sacriſta viſitet Sanctiſſimum Sacramentum cum debitis cæremoniis, & ſi tum videbitur luſtret Eccleſiam conſiderando an munda, & compoſita ſint omnia, ſi fores Sacriſtiæ, ac templi fortes, ſuis temporibus claudantur. Inſpiciat Confeſſionalia an ſint loco patenti, ſi crates eorum ſtrictæ, & honeſtæ ne locus tanti Sacramenti ſit aliis communis? An Altaria interius vacua, vel aliqua ſint in Eccleſia loca obſcura, in quibus aliquis poſſet abſcondi? Quæ omninò jubeat corrigi; ſimiliter provideant, ne Altaria ſubſint aliquibus contignationibus, vel locis, ubi ambulatur, libros quoque Chori videat, an ſint correcti, vel corroſi? Videat quoque templi fornicem, feneſtras, Sacriſtiæ firmitatem, & munditiem, & ne putore loci paramenta ſolito citiùs corrumpantur; videat etiam memoriam Miſſarum, quæ ex fundatione primæva, vel ſpeciali, aut obventionibus eleemoſynarum, an in patenti ſint, & abſolvantur?

10. Poſt hæc Prior Viſitatori offerat ſcripta nomina, cognomina, ætatem, officia, & gradus ſingulorum, ac conſignet, qui ad teſtimonia, & accuſationes admitti poſſint, Fratremque idoneum deſignet, pro ſervitio Viſitatoris, qui ad Inquiſitionem alios convocet. Idem Pater Prior exhibeat Regulam, Conſtitutiones tam communes, quàm particulares per alios Viſitatores ordinatas illi Conventui, & ſui officii proprias, libros quoque fundationum, expenſarum, proventuum, obligationum, Eccleſiæ, ac Conventûs præſentet. Porrò Inquiſitionem Viſitator inchoabit à Junioribus Fratribus, & deſinet in ipſo Priore, qui de ſingulis meliorem ipſi dabit informationem.

11. Relata à Fratribus per Secretarium Viſitationis notabuntur, in quorum fine (charta alia contegente dicta aliorum) unuſquiſque ſe ſubſcribat, ordinarias autem, & magis frequentes tranſgreſſiones Regulæ, & Conſtitutionum, & à quibus perpetrantur, præcipuè advertat. Cætera hìc diligenter obſervantur poſita infra de proceſſu Regularium judiciali.

12. Per-

12. Peractâ Fratrum viſitatione viſitabit promptuarium vulgò diſpenſam Conventûs, & exiget rationem dati, & accepti, & expenſarum, quarum ſub conſcientiæ onere omnes Priores fidelem, & exactam rationem reddere teneantur. Inquiret de debitis, mutuo data, vel accepta pecunia &c. ac in eodem libro pro majori fide prædicta manu propria ſubſcribet, & ſigillum ſuum Viſitator apponet. Inſuper inquiret an omnia bona ex fundatione provideantur? An in limitibus eorum ſit ex aliqua parte defectus? Ordinetque, ut cum certis Patribus ſi quæ ſint deperdita recuperentur, deſolata reſtaurentur.

13. Cellas etiam Fratrum luſtrabit omnium, & ſi quid in eis indecens, pretioſum, ſuperfluum advertet, uſui communi applicet; contra murmurantes pænam ferat. Demùm videat alias Conventûs manſiones, præcipuè infirmariam, commune Fratrum hoſpitium, veſtiariam, Bibliothecam; ubi exactè omnia notet, & corrigat, ut ſuo tempore de bono, vel malo regimine Prioris poſſit Generalem, vel Provincialem, aut Capitulum informare.

14. Quod ſi ipſe Generalis, vel Provincialis in ſua perſona viſitaverit, ſtatim corriget negligentiam Prioris, & quoad veſtiariam Fratrum, Bibliothecam, in illo actu viſitationis ordinet taxam certam pro libris quotannis comparandis, ac pro veſtitu Fratrum, ſecundùm eorum indigentiam.

15. Viſitator ſecundùm ſapientiam à Deo acceptam poterit particulares ordinationes pro Conventu ſtatuere, prout neceſſitas exegerit ad meliorem conſervationem regularis diſciplinæ, quæ inſcribantur libro Conventûs, & ſubſcriptione manûs Viſitatoris, ac Secretarii muniantur, de quarum obſervatione dabit teſtimonium Capitulo Prior, & Diſcretus illius Conventûs.

16. Cum Generalis, aut Provincialis, vel alius Viſitator Monaſteria ſtudiorum viſitabit, de Studentium progreſſu periculum faciat, & notabiliter culpabiles à ſtudio illo amoveat, non tamen adeò facile ob ingenii tarditatem, dummodò ſint obſervantes.

17. Finitâ Inquiſitione, Capitulum de culpis faciat, præ-

missoque sermone ad Fratres moneat, ut se ad pœnitentiam humilient. Tum in primis Prior genuflexus dicat suas culpas, nec surgat, quamdiù eum allocutus fuerit Visitator, cæteri Fratres ob reverentiam Prioris stent; substitutus Visitator Priorem deponere non poterit, benè tamen ab officio suspendere, ac regimen Suppriori demandare, donec missa informatione Patri Generali, aut Provinciali, ipsi quid agendum sit determinet; Generalis autem, vel Provincialis habito consilio Patrum illius Conventûs sine Definitorio poterit in visitatione Priores destituere, & alios instituere. Alii Fratres ordine suo, incipiendo à Senioribus spontè culpas suas fateantur, propterea mitiori pœnâ plectendi. Qui verò culpas non dixerint, proclamentur, ac graviores pœnitentias subeant.

18. Mutatio Fratris ab uno Conventu ad alium si necessitas requiret ex commissione, vel certificatione P. Generalis, aut Provincialis fieri poterit; Visitator antequam pœnitentiam injungat exageret culpas, id tamen sine perturbatione animi faciet, ut potiùs videatur per compassionem punire, quàm per indignationem.

19. Inobedientes Visitatori, pœnas rebellium à P. Generali, aut Provinciali sustineant, defectus P. Provincialis à Fratribus delatos, nequaquam per Conventus publicet Visitator, sed ipsum suo tempore, vel privatim, vel coram aliquot Capitularibus admoneat, vel si deponendus sit ipsum in Capitulo deponat.

20. Sub fine visitationis jubeat per Secretarium legi monita pro meliori observantia relicta Conventui, simulque pronunciet excommunicationem contra revelantes secreta, & inquirentes, vel propalantes Fratrum accusatores, de quo supra Part. 2. Cap. 12. num. 4. Ultimò fiat confessio, & absolutio prouti habetur Part. 2. Cap. 12. num. 10.

21. Videat autem quilibet Visitator, ne leviter visitationem expediat, sed ut benè, pensatis rebus, circumstantiis, personis, in pace, & tranquillitate Provinciam, seu Conventum relinquat, ac in discessu cum osculo pacis Fratribus vale faciat.

22. Demùm habeant Visitatores à suis Conventibus provisionem ordinariam, sicut & alii Fratres. Pro viatico autem eorum Provincia ipsis provideat.

CA-

CAPUT XXX.

De Processu Judiciali.

1. AD conficiendum processum judicialem tribus modis proceditur, per accusationem, denunciationem, & inquisitionem.

Per accusationem, cùm certus est Accusator, qui tamen contra Prælatum non facilè admittendus est, ne concussis columnis ædificium corruat. Itaque antequam procedatur contra Prælatum examinanda est diligenter persona Accusatoris, an sit integræ famæ? an moveatur aliquo odio, vel passione, & an quæ proponit contra Prælatum habeant aliqua indicia, aut adminicula veritatis? ut quia aliàs in eodem genere mali deliquerit, aut alio modo ejus fama, & existimatio gravetur. Accusator verò contra subditum licet non sine examine sit admittendus ad accusationem, non tamen tanta est adhibenda diligentia, sicut in Accusatore Prælati. Quilibet autem Accusator subscribere debet capita accusationis correctæ, & nunquam admittendus est ad prosequendam accusationem per Procuratorem, quando Causa fuerit criminalis, & præcipuè si delictum sit grave.

2. Per denunciationem proceditur cùm similiter certus est, qui denunciat delictum Superiori, quam denunciationem Prælatus, seu Judex admittet, si præcedente juxta Sanctum Evangelium Denunciatoris, charitativâ monitione, denunciandus non se correxerit, similiter denunciator se subscribere debet Capitibus denunciationis, sicut Accusator. Etsi ipse non teneatur Processum prosequi, & objecta probare.

3. Per inquisitionem verò proceditur cum fama, & diffamatio non à malevolis, & maledicis, sed à probis, & honestis ortum habet, eaque diffamatio non semel, sed sæpiùs ad aures Superioris pervenerit. Post accusationem, seu denunciationem, vel diffamationem Prælatus, seu Judex super capitibus accusationis,

vel denunciationis, aut diffamationis ad teſtium examen deveniet, à quibus exhibito de veritate dicenda juramento, interrogabit primò generaliter ſuper eorum qualitatibus, & prætereà ſuper prædictis capitibus, notando diem, menſem, & annum, quo ſinguli teſtes fuerunt examinati, demùm curabit, ut iidem Teſtes manu propriâ ſubſcribant ſuas depoſitiones.

4. His peractis citabit accuſatum ſeu denunciatum, aut diffamatum, eumque examinabit diligenter ſuper capitibus prædictis non ſemel, ſed bis, aut ter, cum intervallo tamen, ut ſi mendax fuerit, poſſit ex ipſius depoſitione convinci, aut redargui, & ad veritatem dicendam induci, & ſi opus fuerit ad eum convincendum, aut inducendum ad veritatem fatendam poterit fieri cum eo confrontatio teſtium, quod medium eſt validiſſimum ad convincendos reos, aut ad dicendam veritatem inducendos.

5. Finitis examinibus, & conſtituto rei, danda erit copia ipſi reo depoſitionum teſtium examinatorum, ſine eorum nominibus, cum termino competenti ad faciendas ſuas defenſiones, & ſi delicta ſibi objecta non diluat, eaque ſint probata ſufficienter, vel per rei confeſſionem, aut per teſtes reus fuerit convictus, poterit prævia citatione ad ſententiam deveniri, & reus in pæna ejus delicto debitâ condemnari; ſi verò reus objecta legitimè diluerit, poterit abſolvi, & declarari innocens, & non repertus culpabilis cum clauſula ex hactenus deductis; ſi verò de innocentia rei plenè conſtiterit, poterit ipſe reus abſolvi ſine dicta clauſula, quæ ponitur in ſententiis, cum non plenè fuit innocentia rei probata.

6. Quod ſi de objectis tanta indicia fuerint contra reum, eaque non diluerit, poterit deveniri ad ejus torturam, id eſt: ad acriores afflictiones, juxta exigentiam delicti, & qualitatem indiciorum, ſi fuerint ad eam ſufficientia, & condemnari reus, ſi delictum fuerit confeſſus; ſi verò ſuſtinuerit abſolvi cum clauſula, ex hactenus deductis, ſicut etiam cum eadem clauſula abſolvi poterit, ſi indicia ad torturam non fuerint ſufficientia, omiſsâ omninò purgatione canonicâ propter periculum perjurii tam in ipſo reo, quàm in teſtibus ad purgationem canonicam faciendam inductis.

7. Ebrio-

7. Ebrioſos, detractores, paſſionatos, qui priùs in quinque Capitulis hebdomadalibus per annum moniti fuerint, nec emendati, & qui voce activâ, & paſſivâ ſunt privati noſter Judex regularis ad teſtimonium, vel accuſationem non admittat, benè tamen ad informationem dandam admitti poſſunt.

8. Demùm in proceſſu noſtro regulari excludi debent omnes calumnioſæ, ac doloſæ delationes, inaneſque exceptiones, ſed ſolùm attendenda, quæ ad judicii vim, & eſſentiam pertinent; omiſsâque ſolemnitate Juris, & repulſis tergiverſationibus, & frivolis appellationibus, & juxta placitum Bonifacii VIII. ſola veritate facti inſpecta, decretum ferendum, & à Fratribus ſuſcipiendum, cùm ii ad Ordinem venerint non contendere, ſed propriæ voluntati renunciare, pœnitentiam agere, pro Chriſto pati, & laborare. Qui pœnitentiam ſponte facere recuſaverit compelli poterit primò per cenſuras, illis ſpretis, per brachium ſæculare, ſemper habito reſpectu circumſtantiæ loci, temporis, ac perſonæ.

CAPUT XXXI.

De Correptione Culparum.

1. SUb reatu peccati mortalis Superiores tenentur, non tantùm gravioribus, ſed etiam levioribus delictis, ex quibus facilè oriri poteſt diſſipatio notabilis diſciplinæ regularis, tempeſtivè obviare. Item contra exceſſus, ex quibus detrimentum animæ Fratri, vel Ordini infamia provenire poteſt, etiam ex ſuſpicionibus rationabilibus, aut ſignis, non expectando mali incendium, inquiſitiones faciant, ac inventos juxta ſtatuta regularia puniant; aliàs ipſi ut participes, & cauſæ malorum cum prævaricatoribus propter negligentias ſuas graviter punientur.

2. Fratres tanquam filios corripiant oſtentantes eis amorem, & quærentes rationem facti, ut diſcreta ſit eorum correptio, & videantur quaſi inviti eos punire. Si diſciplina, vel alia pœna ſit alicui danda, & ſe Superior ſubiratum cognoverit, tunc vel

ſen-

ſententiam differat, vel alicui Religioſo gravi vices ſuas committat: Ira enim viri Dei juſtitiam non operatur.

3. Si quis ex Fratribus pœnam ex ſuperbia, vel timore, aliave perturbatione ſubire noluerit, eum in Cella includi jubeat, & poſteà ad eum mittat ſeniores, qui blandis perſuaſionibus illum ad pœnitentiam inducant, quibus ſi non acquieverit, in carcerem deduci jubeat, & ſi adhuc perſeveret in contumacia, poſt triduum pane, & aquâ veſci præcipiat; & cùm culparum alia ſit levis, alia gravis, vel gravior, vel graviſſima, Superior pœnitentias juxta culpæ qualitatem ad præſcripta infra poſita moderabitur, aliaſque pœnas, quas hìc non inveniet taxatas ſecundùm præſentes cum conſilio diſcretorum Patrum taxabit.

§. I.

De Levi Culpa.

1. SI quis ad *Gloria Patri*, ad inchoationem Divini Officii non interfuerit, & terram oſculari omiſerit, ac ad gradus Altaris ſe non inclinaverit.

2. Si quis in Choro malè legendo, vel cantando, non ſtatim ſe coram omnibus terram tangendo, & pectus percutiendo humiliaverit.

3. Si quis in Eccleſia, vel dormitorio, vel in Cella inquietudinis, vel ſonitûs aliquid fecerit.

4. Si quis lectionem ſtatuto tempore non præviderit.

5. Si quis aliter cantare, vel legere præſumpſerit, quod non communis uſus, vel conſenſus probat.

6. Si quis otiosè locutus fuerit, vel egerit.

7. Si quis oculos vagos per plateas, vel villas eundo, ad vanitatem direxerit.

8. Si quis in Vigilia Annuntiationis, vel Nativitatis Domini in principio Capituli Primæ in Choro per negligentiam non adfuerit, ut pronunciatis Redemptionis noſtræ primordiis, gratias agat corde, & corpore Domino Redemptori.

9. Si

9. Si quis de via veniens eâdem horâ ſi fieri poteſt benedictionem accipere neglexerit, vel abſque ea benedictione plùs unâ horâ moratus fuerit.

10. Si quis temporibus ſtatutis cum aliis lectionem auditurus abfuerit.

11. Si quis Eccleſiæ, vel Altaris ornamenta negligenter tractaverit.

12. Si aliquid utenſilium ex deſidia fregerit, vel perdiderit.

13. Si quid cibi potuſvè effuderit.

14. Si quis in libro aliquo aliis cantantibus legerit.

15. Si liber, in quo legendum eſt, cujuſquam negligentiâ defuerit.

16. Si quis dixerit aliquid, vel egerit, unde Fratres offendantur.

17. Si quis potum, vel cibum ſine benedictione ſumpſerit.

18. Si quis ad Capitulum hebdomadale, vel collationem ſpiritualem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit.

19. Si quis commune mandatum dimiſerit.

20. Si quis eorum, qui officiis communibus deputati ſunt in aliquo levi negligens fuerit, ut Procurator in interioribus, & exterioribus procurandis, infirmorum cuſtos infirmis cuſtodiendis, & cæteri ut injunctum eſt eis.

21. Si quis ſilentium fregerit.

22. Si quis pro victu, aut indumentis, vel alia re murmuraverit.

23. Proclamatis, vel proclamantibus ſe de ſupradictis, injungatur unus Pſalmus, vel aliquot orationes Dominicales, vel duo Pſalmi in Capitulo, aut in medio Refectorii, aut diſciplina in Capitulo, vel poſt Completorium ab ipſomet facienda, aut carentia alicujus ferculi juxta modum, quo exceſſit, & qualitatem perſonæ arbitrio Superioris.

§. II.

De Gravi Culpa.

GRavis culpa est, si quis Divino non intentus officio vagis oculis, & motu irreligioso levitatem mentis ostenderit.

1. Si quis ad lectionem in Choro dormitaverit.
2. Si quis in Choro ridere præsumpserit.
3. Si quis in quovis loco dissolutè ridens, cachinis, vel ludis, dictis, factis immodestis alios ad ridendum concitaverit.
4. Si quis indumenta, vel alia data Fratri, vel concessa sine ipsius licentia pro se receperit.
5. Si quis in Conventum horâ, quâ venire debet, distulerit.
6. Si quis eum à quo proclamatus fuerit eadem die, quasi se vindicando accusare præsumpserit.
7. Si quis cum juramento sine necessitate aliquid negaverit, vel affirmaverit.
8. Si quis vaniloquium, vel quod gravius est turpem sermonem in usu habuerit.
9. Si quis inhonestè in audientia Sæcularium cum aliquo contenderit.
10. Si Frater cum Fratre, vel extraneo intus, vel foris rixas habuerit, si quis alicui Fratri, vel Sæculari opprobrium dixerit.
11. Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit.
12. Si quis silentium frangere in consuetudinem duxerit.
13. Si quis culpam suam, vel aliorum defenderit.
14. Si quis inter Fratres discordias dicta unius alteri referendo, vel alio modo seminaverit.
15. Si quis in denunciatione sui voce clamorosâ se defenderit, vel cum proclamante contenderit.
16. Si quis minas, maledicta, aut verba irreligiosa in aliquem protulerit.
17. Si

17. Si quis culpam præteritam Fratri pro qua satisfecit, improperaverit.
18. Si quis absque magna necessitate jejunia Ordinis fregerit.
19. Si quis aliquam ex horis canonicis recitare omiserit, sive in Choro, sive extra.
20. Si quis ubi fæminæ sunt, oculos diutiùs fixerit, vel cum aliqua suspiciosè locutus fuerit. Pro hujusmodi culpis, & similibus dentur jejunia panis, & aquæ, disciplinæ acriores, & sequestrationes assignentur in Cella pro aliquot diebus cum subtractione aliquorum ciborum, stricta silentia per hebdomadam. Comestio in terra, vel genuflexio, prostratio horâ mensæ, præter hoc psalmi, & veniæ secundùm discretionem Prioris.

§. III.

De Graviori Culpa.

1. SI quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem inobediens suo Superiori extiterit, vel cum eo intus, vel foris contenderit.
2. Si quis per fas, aut nefas procuraverit, ut ipse, vel alter eximatur à potestate Superioris sui.
3. Si quis calumniam in Fratres struxerit, sive in judicio, sive privatim.
4. Si quis jejunia Ecclesiæ violaverit.
5. Si quis mortale peccatum manifestè commiserit.
6. Si quis sciens, & volens sententiam excommunicationis incurrerit.
7. Si quis sciens se esse excommunicatum, suspensumvè celebraverit, vel in suis Ordinibus ministraverit.

Pro hujusmodi, & similibus reo injungantur inclusio in acriori loco pœnitentiæ, vel leviori juxta demerita; tamen sine lecto commodo, subtractis etiam aliquibus consuetis victualibus. Vel extra locum pœnitentiæ jejunia in solis leguminibus alterna-

tim in pane, & aqua, vel secundario potu. Item disciplina danda à Priore, & à Patribus, ita ut Sacerdos à solis Sacerdotibus, Diaconus à Sacerdotibus, & Diaconis, & sic deinde non autem è contra verberetur. Item assignetur ultimus locus. Comestio in terra in medio Refectorii panis nigri, & potûs aquæ, educto ex loco pœnitentiæ ad disciplinas Capituli hebdomadalis. Prostratio ante fores templi, vel Refectorii, dum Fratres intrant ad horas, vel ad gratias agendas exeunt, reductoque inde ad locum pœnitentiæ, sejunctio à Fratribus ita ut nullus Fratrum audeat se illi conjungere, vel aliquid ei demandare, nec vocetur ad aliquod officium in Ecclesia, Choro; Mensa sequestrata, ita ut reliquiæ prandii sui cum aliis non commisceantur, ut qui culpam perpetrando non erubuit fieri membrum Diaboli, sequestretur à consortio ovium Christi, & ita cognoscat se sequestratum à consortio aliorum, quòd etiam nisi resipuerit, removebitur à consortio Angelorum. His superaddatur privatio vocis activæ, & passivæ in stricta forma ad aliquot annos.

Ex prædictis autem plura, vel pauciora longius, vel brevius juxta demerita Superior cum consilio seniorum Patrum pœnitenti imponet.

§. IV.

De Gravissima Culpa.

1. GRavissima culpa est, si quis machinationes, & schismata ad destructionem Ordinis attentaverit.
2. Si quis malignas conspirationes in Superiores suos struxerit.
3. Si quis gravem læsionem alicui incusserit.
4. Si quis Confessionis sigillum fregerit.
5. Si quis publicum scandalum, vel infamiam gravem Ordini fecerit.
6. Si quis libros ab Ecclesia interdictos, aut etiam obscænos legerit; istiusmodi pro talibus criminibus cum consilio Patrum præ-

præter pœnas gravioris culpæ privetur capucio, & scapulari, ac coronâ: ad districtiorem locum pœnitentiæ detrudatur, retento tamen Breviario, & libris spiritualibus, ne pœna temporalis vertatur sibi in gehennam. Ne tamen talis propter impatientiam suam in desperationem labi possit mittat quandoque Superior ad eum Patres seniores, qui illum commoneant ad pœnitentiam, provocent ad patientiam, foveant per compassionem, & inducant ad emendationem, nec facilè Superior cum prædictis ad intercessionem Fratrum faciat misericordiam, nisi magna, & firma spes subsit illorum emendationis.

§. V.

Observanda circa pœnas injungendas.

1. CIrca pœnas supradictas hoc insuper erit observandum, ut Fratribus assuetis levi culpæ, pœna levis mutetur in gravem, vel prolongetur, verbi gratia, tardè sæpius veniens ad Chorum flectat diutiùs ad gradus Altaris, donec à Superiore detur ei signum, ut ad locum vadat: & assuetis graviori, illa mutetur in gravissimam, ita quòd semper aggravatis culpis ratione circumstantiarum; aggraventur etiam, & pœnæ in Constitutionibus taxatæ.
2. Pœna gravior, & gravissima non nisi cum maturiori consilio Patrum Conventûs per Priorem potest dari, eaque in scriptis; vel delinquente in loco pœnitentiæ servato, petatur informatio à Patre Generali, vel Provinciali.
3. Impositæ pœnæ à Subditis humiliter acceptentur, nec enim in statu tranquillo Sanctæ Religionis contentiones foveri debent.
4. Cum senioribus potest Superior quo ad aliquas pœnas dispensare, verbi gratia, pro sessione, & comestione in terra, ut super nudam tabulam in extrema parte mensæ comedat, pro disciplina flectat, &c. In gravissima pœna cum nullo cujuscumque ætatis, & dignitatis fuerit ullo modo erit dispensandum.

CAPUT XXXII.

De Quibuſdam Exceſſivis.

§. I.

De Percuſſoribus.

1. SI quis Fratrum animo irato alicui percuſſionem comminatus fuerit, pœnam gravioris culpæ per hebdomadam ſuſtinere cogatur; & ſi percuſſerit aliquem Fratrem manu, eandem pœnam luat per quindecim dies; ſi verò percuſſerit ligno, aut lapide, vel aliâ re ſine gravi læſione, per menſem eidem graviori pœnæ ſubjaceat; idem judicando, ſi extraneum percuſſerit, vel ſe ipſum. Et tantum prædictis pœnis addatur, quantum Priori de conſilio Patrum viſum fuerit expedire: juxta qualitatem perſonæ percutientis, percuſſæ, percuſſionis, & ſcandali magnitudinem. Propter gravem læſionem Fratris, vel levem factam in Superiorem, percutiens pœnam graviſſimæ culpæ per duos menſes ſuſtineat, & utraque voce per triennium careat, à ſolo P. Generali, vel Provinciali abſolvendus; ſin vulnus lethale inferatur, mors tamen non ſequatur, eandem pœnam per ſex menſes abſque ulla diſpenſatione ſuſtineat, & per quinquennium voce careat. Aggraventur iſtæ pœnæ etiam penſatis circumſtantiis prout ſupra, ſi autem (quod Deus avertat) uſque ad homicidium aliquis dilaberetur, licet aſſerat ſe primis motibus feciſſe (quos tenetur ex inſtinctu rationis prævidere) talis omninò ſine ulla diſpenſatione perpetuo carceri mancipetur, & ſingulis ſeptimanis ſecundâ, quartâ, & ſextâ feriâ pane, & aquâ ſuſtentetur; frequentans hoc vitium etiam levi

levi percuſſione, ad ullum officium ineligibilis habeatur.

2. Percuſſores Prælatorum cum complicibus, & fautoribus præter expreſſas pœnas, voce utraque perpetuò careant. Arma, ſub excommunicatione ipſo facto nullus habere præſumat, aut qualiacumque inſtrumenta offenſiva.

§. II.

De Apoſtatis.

1. QUicumque Fratrum poſt factam profeſſionem jactando ſe, ſeu comminando dicere præſumpſerit in audientia aliorum ſub quacumque forma verborum, ſe velle exire de Ordine, vel habitum regularem deponere, aut noſtro Ordini detrahere, tam diù in vinculis, aut loco pœnitentiæ detineatur, donec ipſius auſui temerario ipſa vexatio tribuat intellectum. Dentur illi interim libri ad rectificandam conſcientiam ædificativi, ac monitores in ſpiritu lenitatis ipſius correctivi.

2. Apoſtatæ ex noſtris, indiſpenſativè voce activâ, & paſſivâ, etiam in Capitulis Clauſtralibus careant. Et qui ſaltem per integrum menſem divagati fuerint, per quinquennium ad Prælationem inhabiles exiſtant, & primo anno ultimum locum habeant. Converſi verò per quinquennium ſint noviſſimi, donec cum ipſis propter laudabilem converſationem per Capitulum Generale diſpenſatum fuerit, quod debent habere in ſcriptis.

3. Apoſtata, vel fugitivus ſive ſpontè, ſive compulſus ſi redeat, à nullo alio præterquam à P. Generali, vel Provinciali, aut Viſitatoribus eorum pro reſidentia alicujus Conventûs recipi, vel abſolvi debebit hoc modo: primò in loco pœnitentiæ per aliquot dies maceretur, poſt pro abſolutione veniat ad Capitulum; & ſi fuerit in habitu extraneo, eum deponat, regularique habitu indutus uſque ad cingulum deſuper nudus ingrediatur, virgas in manibus habens, ac ſe proſternens ante pedes

Præ-

Prælati, humiliter dicat ſuam culpam, quem Prælatus reprehendat, & charitativè corripiat; ex tunc vapulet ante pedes Prælati, poſteà ad pedes aliorum Patrum alternatim dicentium Pſalmum, *Miſerere*, demùm ab excommunicatione abſolvatur formâ ſequenti.

Poſt dictum *Miſerere*, cum *Gloria Patri &c.* Prælatus ſurgat, & aperto capite dicat: *Kyrie eleiſon &c. Pater noſter &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Salvum fac ſervum tuum Domine.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum, quem ſententia excommunicationis conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Mox ſedeat, & cooperto capite dicat:

DOminus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate illius, & Reverendiſſimi Patris Generalis, vel Admodum Reverendi P. Provincialis, mihi conceſsâ, abſolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurriſti, vel incurrere declaratus es propter Apoſtaſiam, vel alterum caſum, & reſtituo te communioni, & unitati fidelium, & Sanctis Eccleſiæ Sacramentis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. ℟. *Amen.*

Poſt abſolutionem pænas deſignandas gravioris culpæ luat ſine diſpenſatione, ſaltem per menſem integrum. Tempus Apoſta-

ſtaſiæ nunquam ei computetur inter annos Religionis. Si ſecundò, vel tertiò apoſtataverit, pænæ ſuprapoſitæ ei multiplicentur, & diſpenſatio prolongetur.

4. Quòd ſi cum ſcandalo Ordinem relinquens, inhoneſtè extra vixerit, aut diutiùs permanſerit, juxta qualitatem ſcandali, delictorum moræ, pæna illi augeatur in graviori, & graviſſima culpa præſcripta; de quo verò non conſtat, quòd totaliter Ordinem dimiſerit, ſed tantùm vagus intra, vel extra Provinciam, licèt prætextu adeundi Superiorem in habitu circumierit, diſpenſationem quidem faciliorem ad gratias Ordinis habebit, pænas tamen gravioris culpæ veris Apoſtatis debitas, & abſolutionem ab excommunicatione ſuſtineat, juxta moram vagationis, & qualitatem delictorum.

§. III.

De Pœna Proprietariorum.

1. QUi comeſtibilia, aut alia parvi momenti receperit ſine licentia Superioris, prima vice comedat in terra medii Refectorii, pro ſecunda vice diſciplinetur fortiùs, deinceps pro arbitrio Prioris luat.

2. Si verò pecuniam, aut aliquam rem magni momenti, cujus quantitas in Provinciis tam pro caſu reſervato, quàm pro cenſura per Definitorium determinanda eſt, ſine licentia à quocumque habuerit, vel alienaverit, ſive ſit Prælatus, ſive Subditus, à Confeſſario abſolvi non poſſit, niſi priùs illud Superiori præſentaverit, vel alienatum ſi poſſibile fuerit, recuperaverit, deinde præter privationem vocis activæ, & paſſivæ, culpæ gravioris pœnæ per menſem ſubjaceat, quæ augeri, & minui poteſt juxta qualitatem delicti, & quantitatem materiæ.

3. Si verò in morte (quod Deus avertat) Proprietarius inventus quis, ſive ex Subditis, ſive ex Prælatis fuerit, Sacrificium, aut aliquod Officium pro ipſius anima non fiat, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ privetur, id tamen fiat præmiſſo conſilio Patrum

trum seniorum. Surripientes præter infamiam duplicatâ pænâ Proprietariorum puniri debent.

§. IV.

De Pœna Excommunicationis.

1. SEquuntur excommunicationes, ex antiquis Rubricis Ordinis in unum locum collectæ. Si qui Priores per contumaciam, vel aliquas frivolas rationes præsumpserint se absentare à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, vel cessante legitimo impedimento post triginta dies obedientiam suam non exhibuerint legitimo Superiori.

2. Si quis cum diffamatione Ordinis, secretum Capituli extraneis revelare ausus fuerit. Si quis machinatus fuerit schisma in Ordine nostro, puta mutationem Superiorum per extraneas personas, aut subtractionem alicujus Conventûs ab obedientia &c. Si quis iniquo animo, vel malis artibus inquirere præsumpserit de suo accusatore etiam apud Fratres, vel Superiores suos, vel Superiores à Fratribus, vel utrique ab extraneis, vel eum revelare Fratres præsumpserint. Si quis fugerit ex Conventu ausu temerario, etiam ad Superiorem majorem, vel aliquis Ordinem deseruerit, vel aliqui Priores eos receperint pro residentia, vel quis ad alium Ordinem transiêrit, præterquam ad Charthusianos servatâ formâ in Bullis Pontificiis præscripta, si quis rebellis fuerit Superiori suo. Si qui assumpserint novas Domos, vel antiquas deseruerint sine licentia P. Generalis, vel Provincialis.

3. Si quis factiones pro se, vel pro aliis exercuerit in electione P. Generalis, vel Provincialis, vel istiusmodi non denuntiaverit. Si quis per extraneum dignitatem aliquam sibi procuraverit. Si quis bona Ecclesiæ, seu Monasterii dilapidaverit. Si quis ex Fratribus, aut Superioribus aliquo casu negotiationem per se exercuerit: omnes prædictos ipso facto excommunicatos esse

esse decernimus, & declaramus, insuper ad pœnas gravioris culpæ luendas adjudicamus.

Contra alia delicta excommunicationis pœna non nisi à solo P. Generali, vel Provinciali, vel cum ipsius licentia debet ferri, eaque ob gravem causam propter contumaciam sub forma sequenti danda in scriptis.

Forma servanda in Excommunicationis Sententia ferenda.

4. POst factum canonicè processum si deveniendum sit ad ferendam sententiam excommunicationis contra Reum, Judex præmissa trinâ monitione canonicâ cum certis intervallis utpote unius, vel plurium dierum, vel etiam horarum si periculum sit in mora hoc modo Sententiam concipere poterit.

Christi nomine invocato. Nos Frater N. Generalis, vel Provincialis, Prior, vel Visitator, vel si ea fuerit delegata. *Nos Frater N. specialiter Delegatus, visis &c. habitoque Priorum N. N. Definitorum, aut Seniorum consilio, Deum præ oculis habentes Christi nomine repetito, per hanc nostram definititivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, excommunicamus, & pro excommunicato haberi volumus, & mandamus Fratrem N. N. ob tale delictum*, quod erit omninò exprimendum, *& pro tali denunciari volumus per cædulones seu schedulas, quarum decernimus, & declaramus affixionem in Refectorio, & ad ostium ejus Cellæ*, vel ubi erit solitum. Si verò declaratoria sententia ferenda fuerit, prævia simili citatione cum trina monitione, ut supra ad dicendam causam, quare nam debeat reus declarari incidisse in excommunicationem, sive lata sit à Jure communi, sive à Constitutionibus Religionis, locò verbi *excommunicamus* in hujusmodi Sententia declaratoria debent poni hæc verba: *declaramus Fratrem N. N. incidisse in excommunicationem majorem ob tale delictum*, quod similiter erit exprimendum. In calce porrò cædulonum, seu schedularum ponenda erit hujusmodi clausula: *Amoventes, lace-*

lacerantes, aut deturpantes simili vinculo excommunicationis innodamus.

§. V.

De Privatione Vocis, Loci, & Coronæ.

1. QUi privatur voce passivâ per hoc redditur inhabilis ad majora officia in nostro Ordine, minora tamen potest exercere, verbi gratia, Infirmarii, Janitoris &c. Privatus voce activâ suffragium non potest ferre in aliqua consultatione etiam in Capitulo hebdomadali, unde post dictam suam culpam tenetur exire; neque potest fieri accusator, neque testis adversùs Fratrem, potest tamen secretò etiam in visitationibus assumi pro aliqua informatione Inquisitionis alterius, ac rei necessariæ. Privatus voce omnimodâ nullum Fratrem poterit alloqui, nisi priùs à Superiore licentiâ petitâ pro aliqua re necessaria.

2. Nullus Prior audeat Fratrem voce privare, nisi in casibus suprapositis, idque adhibito consilio, & majori consensu Patrum. Hæc enim pæna majoribus Prælatis reservatur, ejusque relaxatio.

3. Privatus loco, ultimum locum occupat in Choro, Capitulo, Refectorio, Sacerdos inter Sacerdotes, Diaconus inter Diaconos, & sic deinceps. Quod si alium occupabit (excepto tardo alterius adventu) suum ipso facto amittat usque ad Capitulum proximum.

4. Qui pænâ erit majore dignus, quàm sit privatio loci, aut gravis culpæ propter suam proterviam, poterit coronâ privari, & ad obsequia infima in Conventu destinari.

§. VI.

De Loco Pœnitentiæ.

1. IN qualibet domo nostra sit aliquis locus pœnitentiæ benè firmatus, honestus tamen, & cum lumine ubi pœnitens possit Horas Canonicas absolvere, & salubria animæ legere, sint ibidem aliquot Imagines compunctivæ, verbi gratia, de quatuor novissimis, aliisque exemplis horribilibus &c. In hunc locum positus debet esse contentus solis leguminibus, & potu tenuiore quamdiù non liberatur; strictior locus debet esse pro illis culpis, quæ ordinariam correctionem Conventualium excedunt Prælatorum, uti sunt scandalosa crimina, enormes percussiones, & quæ ponuntur in gravissima culpa, vel quæ ad se non pertinere cum consilio Patrum Prior judicabit. Ad talem locum missus priùs capucio, & scapulari privetur, quod non nisi liberatus recipiet, ad eundem locum pertinebunt compedes, & ferratæ manellæ propter depravatos coërcendos.

2. Qui in loco pœnitentiæ positum sine licentia Prioris visitabit, vel quod gravius est cibum, potumque ministrabit, vel aliud aliquid pro allevianda, vel excutienda pœnitentia; dimidium pœnæ rei uti dissipator disciplinæ monasticæ sustinere cogatur, ipseque custos loci pœnitentiæ graviore pœnâ pro negligentia, vel reticentia illius facti plectatur.

3. Suspectus de fuga à quocumque Superiore potest conjici in locum pœnitentiæ; qui gravem dedit suspicionem alicujus facinoris, nec ad semiplenam probationem se sufficienter purgavit; potest is in locum pœnitentiæ conjici pro veritate dicenda, vel pro data contra se suspicione.

Pro quolibet peccato mortali scandaloso possunt Superiores etiam locales Fratrem à consortio aliorum sequestrare ad locum pœnitentiæ.

§. VII.

De Pœna Ejectionis.

QUi gravia crimina commiserit, sæpèque monitus non destiterit, & qui pœnitentiam pro illis non acceptaverit, istiusmodi medii anni spatio ex constitutione fel. record. Innocentii XII. Anno 1694. Die 24. Julii edita, in jejunio, & pœnitentiâ probetur in loco pœnitentiæ, quo elapso, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera alios perdat, ejici tandem possit; non aliter tamen quàm ab ipso Priore Generali de consilio, & assensu sex Patrum ex majoribus alicujus Provinciæ, qui fuerint antea Definitores pro hac causa eligendis, qui si non adsint, possit suppleri defectus per alios etiam hac speciali prærogativa non insignitos. Qui quidem ejectus extra Religionem degens, sit perpetuò suspensus ab executione Ordinum, ex decreto Sacræ Congregationis Cardinalium de Regularibus felicis recordationis Urbani Papæ octavi jussu edito, die 21. Septembris 1624. Idem loci ordinarii jurisdictioni, & obedientiæ, cum illamet suspensione subsit. Proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur, nec possit aliquo modo expulso litteras testimoniales concedere, illum ad Sedem Apostolicam rejiciendo, vel aliquam Religionem ingredi jubendo, & in omnibus supra dictis, & aliis juxta decretum præfatum procedatur &c.

CA-

CAPUT XXXIII.

De Monitis Generalibus pro Observatione Constitutionum.

1. AD obviandum sensim irrepentibus in Ordinem defectibus, nec non ad promotionem religiosæ perfectionis possunt insuper aliquæ novæ Constitutiones præsentibus addi pro toto Ordine cum eadem vi, & robore; non aliter tamen, nisi in Capitulis Generalibus; insuper aliquæ ordinationes pro recta gubernatione Provinciarum in Provincialibus Capitulis, ac pro bono Conventuum in Visitationibus eorumdem, quæ omnes hisce Generalibus accommodentur.

2. Explicatio Generalium Constitutionum pertinet ad solum Patrem Generalem cum assistentia sui Definitorii, quorum is genuinus sensus erit acceptandus, in quem major pars Definitorii completi consenserit. In subitis autem casibus Provinciarum, declaratio harum Constitutionum valebit facta per Patres Provinciales, cum suis Definitoriis, ad cujus explicationis executionem Fratres tenebuntur sub pœna gravioris culpæ tam diù donec decisio definitiva Patris Generalis, & Definitorii venerit.

3. Dispensatio illarum ad auctoritatem solius Patris Generalis spectat, quæ sine gravi necessitate fieri non debet aliàs pro corruptela reputabitur.

4. Omnes Priores tenebuntur habere in qualibet domo duo saltem exemplaria Constitutionum Generalium, cum Provincialibus, ac Conventualibus, illasque ut præfertur, publicè faciant legi Fratribus sub pœna depositionis, qualibet feriâ secundâ, vel aliâ die per Capitulum Generale, vel Provinciale determinata.

5. Et quia per vigilantiam, aut socordiam Superiorum, ut plurimùm profectus, aut defectus Fratrum in Ordinem irrepunt: proinde omnes Superiores in Domino monemus, ut memores

mores ſint rationis, quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in Regula Divi Patris Auguſtini, ac Conſtitutionibus maximè circa vota Ordinis, Orationem mentalem, Silentium, Capitula hebdomadalia, aliaque Spiritualia exercitia ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad unguem obſerventur; intelligantque ſuper his veluti fundamentis totius Religionis ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe, ut verò omnia ordinatè peragantur; appendatur tabula in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventûs, in qua diſtinctè adnotetur, quid ſingulis horis cujuſque diei Frater quilibet præſtare debeat, ut certo quoque ſigno prænonitus majore animi præparatione ſuo muneri ſatisfaciat.

Ad laudem & gloriam Domini noſtri, ac Salvatoris Jeſu Chriſti, ejuſque Sacroſanctæ Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, S. Pauli primi Eremitæ, Sancti Auguſtini, nec non ad Religioſorum vitæ regularis reformationem & ſtabilimentum. Expliciunt Conſtitutiones Auctoritate Apoſtolica reviſæ, emendatæ, & approbatæ, ac juxta mentem ejuſdem S. Sedis reimpreſſæ, nullo apud Impreſſorem exemplari relicto.

FINIS.

IN-

INDEX
NOTABILIUM.
Quæ in Conſtitutionibus continentur per Ordinem Alphabeti.

A

ABSOLVERE ab omnibus cenſuris. pagina 100. num. 3.
Abſolutio quotidie detur infirmis. pag. 135. n. 7.
Abſolutio plenaria detur agonizanti. pag. 137. n. 2.
Abſolutio danda in fine Capitulorum, & Viſitationum. pag. 94. n. 10.
Abſentantes ſe per contumaciam à Capit. Gen. vel Provin. excommunicantur. pag. 66. n. 5. Iterum pag. 168. n. 1.
Accuſator. pag. 155. n. 1.
Agonizantes quomodo tractandi. pag. 136. n. 1.
Ambitioſus excommunicationi ſubjaceat pag. 66. n. 7. De ambientibus fiat inquiſitio. pag. 80. n. 6. Iterum pag. 91. n. 1.
Amentes ad habitum, & profeſſionem non admittantur. pag. 6. n. 4.
Anniverſarium pro expiandis negligentiis celebretur in Majo. pag. 36. num. 4.
Anniverſaria pro Defunctis. pag. 36. n. 5.
Antiphona B. V. Mariæ poſt Veſperas ſemper cantetur. pag. 32. n. 3.
Approbatio Novitiorum. pag. 15. n. 1. & ſeq.
Apoſtata ſi redeat à quo recipiendus, vel abſolvendus. pag. 165. n. 3.
Arca communis. pag. 43. n. 6.
Archivium habeatur pro toto Ordine. pag. 145. num. 1. Item in qualibet Provincia, & Conventu. pag. 146. n. 3.
Arma ſub excommunicatione nullus habere præſumat. pag. 164. §. 1. num. 2.
Aſperges, cum ſuis precibus, pag. 31. n. 2.
Aſſuetis levi culpæ, pæna levis mutetur in gravem. pag. 163. n. 1.

Aucto-

Auctoritas P. Generalis. pag. 99. num. 1. & seq.
Auctoritas Provincialis. pag. 107. n. 1.

B

BArbas more Sæcularium non colant. pag. 58. num. 7.
Benedictionem in prima, & Completorio dat Superior. pag. 32. num. 3.
Benedictionem petant redeuntes ad Conventum. pag. 55. n. 4.
Benedictio in Choro quomodo petenda. pag. 131. n. 2.
Benefactorum nomina legantur. pag. 92. n. 7.
Bibliothecarius habeat Catalogum librorum. pag, 143. n. 1.
Bonorum Ordinis conservatio, & augmentatio. pag. 103. n. 3.
Bona Monasterii nemo donare præsumat. pag. 43. n. 1.
Bona mobilia nec vendere, nec permutare sine licentia Gen. licet. pagina 43. num. 2.
Bona immobilia alienare non licet sine consensu Sedis Apostolicæ. pagina 43. n. 3.
Bona externis arrendare absque licentia Gen. vel Provinc. non licet. pagina 43. n. 5.
Bona omnia professorum incorporantur Conventui. pag. 41. n. 2.
Bonorum temporalium, & spiritualium administratio. pag. 98. n. 3.
Bullæ Pontificeæ. pag. 100. n. 3.

C

CAmini in Cellis non permittantur. pag. 56. n. 8.
Cantor quid agere, & scire debet. pag. 128. num. 1. & seq.
Non cantabunt nimis altè, nec nimis demissè. pag. 32. n. 6.
Capituli secreta non revelanda. pag. 16. n. 8.
Capitulum Generale quando celebrandum. pag. 65. n. 1. Pro eo celebrando aderunt. ibidem. n. 2. Celebrandum per præsentes. pagina 67. n. 8.
Capitulares tribus diebus ante Capitulum compareant. pag. 66. n. 6.
Capitulum Provinciale quando,& à quibus celebrandum. pag. 69. n. 1.
In eo quinam eligendi, pag. 70. n. 1.
In Capitulis triennalibus fiat scrutinium circa profectum. pag. 71. n. 4.
Capitulum hebdomadale celebretur feriis sextis. pag. 95. n. 1.
Cæremonias ad Altare,& Chorum præscriptas observent. pag. 32. n. 7.

Cel-

Cellas à communi dormitorio separatas nullus habeat. pag. 55. n. 6.
Cellam nullus occludat. pag. 55. n. 5.
Cellam alterius, Frater sine gravi necessitate non ingrediatur. pag. 60. num. 7.
Cinguli sint simplices. pag. 57. n. 1.
Clausura diligenter servetur. pag. 55. n. 1.
Clerici,& Conversi Missæ quotidie intersint. pag. 35. n. 2. Confiteantur singulis octo diebus. pag. 36. n. 6.
Compositiones occultas nemo habere præsumat. pag. 149. n. 6.
Conversi loco horarum Canoni: dicant Pater noster &c. pag. 32. n. 8.
Orationi mentali vacent. pag. 32. n. 9. Litteras qui nesciunt discere non præsumant. ibidem.
Choristæ non admittantur ad habitum nisi linguæ latinæ periti. pag. 7. num. 6. Non minores annis 18. nec majores annis 40. recipiantur. pag. 7. n. 8.
Conferentiæ de virtutibus acquirendis. pag. 27. n. 3.
Confessarius calleat doctrinam de Sacram. pænit. pag. 121. n. 1.
Non absolvat ligatum censurâ, vel casu reservato. pag. 122. n. 5.
Confessiones ubi audiendæ. pag. 122. n. 3.
Confessiones nemo excipiat, nisi approbatus. pag. 37. n. 1.
Confessiones Novitiorum excipiat Magister. pag. 14. n. 3.
Confessio Sacrament. vel Gen. facienda in exercitiis. pag. 29. n. 6.
Correctionem Fratris nullus impediat. pag. 96. n. 6.
Coronam Clericalem alicui Converso nullus dare possit. pag. 5. n. 8.
Coronæ in latitudine duos digitos non excedant. pag. 58. n. 7.
Constitutiones non multiplicandæ. pag. 88. n. 2.
Constitutionum exemplaria adminùs duo in quolibet Conventu habeantur. pag. 173. n. 4.
Constitutiones Gen. cum Provin. legantur publicè. pag. 173. n. 4.
Constitutiones de requisitis eligendorum prælegantur. pag. 68. n. 3.
Constitutiones quando legendæ. pag. 53. n. 3.
Contentiones devitandæ. pag. 26. Cap. 12. n. 2.
Culpas suas humiliter fateantur. pag. 95. n. 2.
Culpa levis. pag. 158. n. 1. & seq. Culpa gravis. pag. 160. n. 1. & seq. Culpa gravior. pag. 161. n. 1. & seq. Culpa gravissima. pagina 162. n. 1. & seq.

D

DEbita graviora nullus Superior sine consensu Capituli contrahat. pag. 44. n. 7.

De-

Deciſor Caſuum Conſcientiæ. pag. 25. num. 1.
Defectuoſus ad profeſſionem non admittendus. pag. 15. n. 1.
Defectus, pro quibus Gen. vel Provin. reprehendendus. pag. 79. n. 2.
Defectus pro quibus Priores ſunt puniendi. pag. 88. n. 3.
In Definitorio Gen. vel Provin. quid agendum. pag. 87. n. 1. & ſeq.
Definitores ſinceram intentionem habeant. pag. 108. n. 1. Inter ſe mutua charitate conveniant. n. 2. Definita in Seſſione non revelent. num. 3. Pro Definitore abſente ſubſtituatur alter. pag. 87. n. 2.
Defunctorum Fratrum nomina legantur. pag. 93. n. 8.
Depoſitum Ordinis. pag. 147. n. 1. Depoſitum Provinciarum ibidem. n. 2. Depoſitum Conventuum. pag. 148. n. 3.
Deſignentur ſex Patres pro ejiciendis ex Religione. pag. 90. n. 10.
Die 1. Capituli quid agendum. pag. 75. n. 1.
Diſſenſiones ſopiendæ. pag. 91. n. 11.
Diſciplinæ quando faciendæ. pag. 51. n. 1.
Diſciplinatos oportet eſſe in Choro. pag. 61. n. 1. & ſeq. In menſa pag. 62. n. 1. & ſeq. In converſatione. pag. 63. num. 1. & ſeq.
Diſcretus Provinciæ in Capit. Provinciali eligendus. pag. 70. n. 1.
Diſcretus Conventûs quomodo eligendus. pag. 72. n. 1.
Diſcreti plenam poteſtatem habent in Capitulo. pag. 116. n. 1. Definitoriis interſint. pag. 117. n. 2. Non ducantur paſſione. n. 3. Reſponſa ad poſtulata deferant. n. 4. Si alicui conſultationi temerè non interfuerint priventur voce. pag. 74. n. 4. Item pag. 117. n. 4.
Diſcreto in via mortuo, vel à Defin: repudiato quid agendum. pag. 78. num. 5.
Pro Diſcretis Provinciarum, eligi non poſſunt Vicarii Provin: uti nec Suppriores pro Diſcretis Conventuum. pag. 74. n. 5.
Diſcedente Priore ad Capitulum, quid agendum. pag. 74. n. 1. & ſeq.
Diſpenſatio Conſtitutionum ſpectat ad P. Gen. pag. 173. n. 3.
Divagationes vitandæ pag. 50. n. 3.
Domus in qualibet Provin. deſtinentur pro profeſſis. pag. 22. n. 3.
Dominium bonorum temporalium in communi. pag. 41. n. 1.
Dormiant induſio induti, nec duo in uno lecto. pag. 57. n. 5.
In Dormitorio omnes habitent. pag. 55. n. 6.
Dubia Caſuum Conſcientiæ in loco deſignato affigantur. pag. 25. n. 1.
Dux ſpiritualis admoneat meditantem. pag. 27. n. 1. Inquirat ex meditante. pag. 29. n. 8.

E

Ebrietatis pæna. pag. 54. n. 9.
Electio fiat juxta formam Concil. Trid. pag. 68. n. 2.
Electio P. Gener. fit in Hungaria. pag. 69. n. 8.
Electio P. Gen. pag. 80. n. 1.
Electio Procuratoris Generalis. pag. 110. n. 1.
Electio Diſcreti Conventûs. pag. 72. n. 2.
Electo Diſcreto quid agendum. pag. 73. n. 3.
Electio quando repetenda. pag. 84. n. 9.
Electo omnes obedientiam præſtent. pag. 85. n. 12.
Electio Vic. Gen. & Provin. ac Defin. pag. 86. n. 1.
Electio Secretarii. pag. 87. n. 2.
Electio Priorum. pag. 70. n. 1. & pag. 90. n. 9.
Electores in Capitulo Gen. pag. 68. n. 1. Item in Capit. Provin. pagina 69. n. 1.
Electores jurent ſeſe eligere digniorem. pag. 84. n. 5.
Eligendorum requiſita. pag. 68. n. 5. Ab electione qui arcendi. pagina 68. n. 4.
Eligentes ſcienter indignum, pag. 69. n. 6.
Errantes in cæremoniis puniendi. pag. 36. n. 7.
Examinatores conſiderent ingenium recipiendorum. pag. 7. n. 7.
Examen de idoneitate Diſcretorum. pag. 77. n. 3.
Examen Vicarii Gen. pag. 80. n. 5.
Excommunicatio contra revelantes ſecreta. pag. 91. n. 4. & 5. Iterum. pag. 154. n. 20.
Excommunicationis pæna. pag. 168. n. 1. & ſeq.
Exercitia ſpiritualia, & corporalia Novitiis diſtribuenda. p. 14. n. 2.
Exercitia ſpiritualia à quolibet per annum facienda. pag. 27. n. 4.
Exeuntes ſine licentia puniantur. pag. 55. n. 3.
Exire ſine licentia, & ſocio nemo audeat. pag. 55. n. 2.
Explicatio Conſtitutionum ſolùm ad Gen. ſpectat. pag. 173. n. 2.
Extra Provinciam nemo eat ſine licentia. pag. 50. n. 2.
Extra Conventum nemo dormiat. pag. 140. n. 3.
Extranei ad Bibliothecam non admittantur. pag. 143. n. 3.
Extra menſam ſine licentia nemo bibat. pag. 54, n, 8.

F

FAbricæ Eccleſiarum, & Monaſt. Religioſam modeſtiam præſeferant. pag. 2. n. 6.
Famæ detrahentes quomodo puniendi. pag. 59. n. 5.
Feſta Ordinis. pag. 33. n. 1. & ſeq. In Feſtis ejuſmodi devotioni ſtudioſius incumbant. pag. 34. n. 16.
Feſta colenda Superior denunciet. pag. 96. n. 5.
Ferculorum qualitas, & numerus. pag. 53. n. 2.
Forma Profeſſionis. pag. 21. n. 1.
Forma abſolvendi Apoſtatas redeuntes. pag. 165. n. 3.
Forma abſolvendi Agonizantes. pag. 137. n. 2.
Forma ſervanda, in ferenda excommunicationis ſententia. pag. 169. num. 4.
Forma privationis vocis. pag. 78. n. 4.
Forma pronunciationis electi Gen. vel Provin. pag. 85. n. 11.
Forma pronunciationis electi Vic. Gen. vel Provin. ac Definit. pag. 86. n. 1. & 2.
Fratres in Capit. de defectibus Priorem non arguant. pag. 95. n. 4.
Fratres pro cuſtodia vinearum, vel prædiorum, non adhibeantur. pag. 56. n. 10.
Frater de uno Monaſterio ad aliud honeſtè dimittatur. pag. 58. n. 6.
Fratrum numerus reſpondeat redditibus. pag. 45. n. 14.
Fratrum hoſpitum pedes laventur. pag. 141. n. 4.

G

GEneralis electi poteſtas. pag. 86. n. 13.
Generalis poteſt alicui negare profeſſionem. pag. 17. n. 10.
Generalis det rationem ſuæ adminiſtrationis. pag. 45. n. 13. Iterum pag. 79. n. 4.
Generalis quomodo eligendus. pag. 80. n. 1. & ſeq. Non poteſt reeligi. pag. 69. n. 7. Iterum. pag. 71. n. 3.
Generalis non quærat quæ ſua ſunt. pag. 102. num. 2. Intendat circa bona Ordinis. pag. 103. n. 3. Totum Ordinem viſitet. pagina 148. n. 1.
Generali mortuo Vicarius gubernabit. pag. 65. n. 3.
Generali habitualiter infirmo quid agendum. pag. 66. n. 4.

H

HAbitum ferant album. pag. 56. num. 1.
Habitus tantum duo cum pallio albo concedantur. pag. 57. n. 3.
Ad habitum qui non admittendi. pag. 6. n. 1. 2. & 4.
Ad habitum admittendus examinetur à Priore loci. pag. 7. n. 9.
Nullus admittatur niſi à Provin. approbatus. ibidem. Item proponatur Capitulo. pag. 8. n. 11.
Hæretici ad Religionem non admittantur. pag. 6. n. 2.
Hebdomadarii Officium. pag. 130. n. 1. & ſeq.
Hiſtorias Eccleſiaſticas prædicator ſcire debet. pag. 119. n. 3.
Horâ Octavâ componant ſe ad dormiendum. pag. 31. n. 2.
Hoſpites religiosè tractentur. pag. 59. n. 6.
Humiles ſe exhibeant imperanti. pag. 38. n. 3.

I

JAnitor ſit ſollicitus. pag. 144. n. 1. Non petat licentiam tempore Divini Officii. n. 2. Frequenter examinetur. pag. 145. n. 6.
Jejunium quando tenendum. pag. 52. n. 2. & 3.
Incorrigibiles ex religione per quos ejiciendi. pag. 90. n. 10.
Indignationem contra accuſantem nemo oſtendat. pag. 95. n. 3.
Indulgentiæ affigendæ. pag. 49. n. 4.
Induſia religioſa deferantur. pag. 57. n. 5.
Infirmarii officium. pag. 135. n. 4.
Infirmi colligant fructum ex infirmitate. pag. 135. n. 6. iiſdem provideantur neceſſaria omnia. n. 7.
Infirmus morti proximus. pag. 137. n. 2.
Informationes ante Capit. faciendæ. pag. 66. n. 6.
Ingenia probanda antequam ſuſcipiantur ad habitum. pag. 7. n. 7.
Inobedientes Viſitatori pænas rebellium ſuſtineant. pag. 154. n. 19.
Inquiſitio de vita P. Gen. pag. 79. n. 3. Item de vita Provin. pag. 71. num. 5.
Intertentio Studentium. pag. 23. n. 4.
Inventaria omnium bonorum aſſerventur. pag. 43. n. 4. Inventaria Sacriſtiæ. pag. 126. n. 3.
Juniores in cantu exerceantur. pag. 32. n. 6. coram Senioribus raro loquantur. pag. 64. n. 2.

Juramentum à Secretariis præſtandum. pag. 87. n. 2.

L

LAici Fratres de conſenſu Gen. vel Provin. admittantur. pag. 4. n. 1. Per quatuor menſes probentur. ibidem. Sint firma valetudine, nec plures quàm neceſſarii erunt. n. 2. Non exeant per annum. n. 3. Menſe 6. 12. 15. & 24. poſt ingreſſum proponantur Capit. n. 4. Diebus Feſtivis plures audiant Miſſas. n. 5. ubique revereantur dignitatem Sacerdotalem. pag. 5. n. 6. Illis profeſſis Confeſſarius aſſignetur. n. 9.
Lapſus carnis quâ pœnâ puniatur. pag. 39. n. 2.
Lapſum carnis non intimans qualiter puniendus. pag. 40. n. 4.
Lectio ſemper habeatur ad menſam. pag. 53. n. 3.
Lectiſternia. pag. 57. n. 4.
Lectores Chori, & Menſæ diſtinctè legant. pag. 131. n. 1.
Legata Eccleſiæ non convertantur niſi ad uſus ejuſdem. pag. 44. n. 8. Notabilia applicentur in bonis immobilibus. pag. 148. n. 3.
Liber profeſſionum in arca communi aſſervetur. pag. 21. n. 2.
Librum nemo imprimat niſi ſervatis ſervandis. pag. 24. n. 5.
Libri incorrecti ad Menſam non permittantur. pag. 53. n. 3.
Libri pro uſu Chori. pag. 34. n. 1. Lacerati tempeſtive reparentur. pag. 35. n. 2.
Libros in Choro cum ſtrepitu non aperiant. pag. 62. n. 4.
Libri pro uſu conceſſi reſtituantur. pag. 44. n. 9.
Libri Bibliothecæ nemini extra Conventum concedantur. pag. 143. num. 2.
Licentia Generalis exeundi nulli concedatur. pag. 55. n. 2. Sine licentia nemo recedat aut recipiatur. pag. 50. n. 1. Sine licentia nullus adeat P. Gen. vel Provin. pag. 50. n. 5. Sine licentia nemo accedat Capit. Gen. pag. 67. n. 9. Pro licentia obtinenda nemo extraneos adhibeat. pag. 51. n. 6.
Locum in Choro ſibi aſſignatum obſervent. pag. 61. n. 1.
Locus pœnitentiæ. pag. 171. n. 1.
Ad Loca nova nemo ſe transferat niſi &c. pag. 1. n. 4. Neque recipiantur niſi ſint viſitata. pag. 2. n. 5.
Litteras ſine licentia nullus mittat, aut recipiat. pag. 59. n. 4. Nec obſigillet quàm Superioris ſui ſigillo pag. 147. n. 4.
Litteraria exercitia habenda. pag. 25. n. 9.

Lu-

Lumen ſine licentia poſt octavam veſperi nullus habere præſumat. pagina 32. n. 2.

M

MAgiſter Novitiorum quænam obſervare debet, pag. 115. num. 1. Idem in Capit. Provin. inſtituatur. pag. 3. n. 4. Prior non corrigat eundem coram Novitiis. ibidem. n. 5. Si obierit quid agendum. n. 8. Tenetur quotidie ſermonem ad Novitios habere. pagina 14. n. 1. Quolibet menſe unumquemque Novitium examinet. pag. 115. n. 3.
Martyrologium in die Paſchatis Presbyter, in Vigilia Nativitatis Domini Superior cantabit. pag. 34. n. 17.
Meditatio Sacra commendatur. pag. 26. n. 1.
Meditans in quibus ſe exerceat. pag. 27. Cap. 14. n. 3. Lentè in meditando procedat. pag. 28. n. 4. Inſtructorem ſpiritualem cum reverentia excipiat. n. 5. Toto corde ſe offerat Deo. pag. 29. n. 9.
Mendicare nulli licet. pag. 50. n. 4.
Menſæ per hebdomadam omnes inſerviant. pag. 54. n. 4. In menſa ſervetur ſilentium. ibidem. n. 6. In menſa non propinent. ibidem.
Miſſa Conventualis in cantu peragatur. pag. 32. n. 5.
Miſſas 4. quilibet Presbyter abſolvat per hebdomadam. pag. 35. n. 1.
Miſſas fideliter deſcribat Sacriſta. pag. 125. n. 2.
Miſſalia & libri pro Choro. pag. 34. n. 1. & 2.
Modus renovandi Vota. pag. 46. n. 2.
Modus eligendi Gen. vel Provin. pag. 80. n. 1.
Modus ſuſcipiendi habitum Ordinis noſtri. pag. 9. Cap. V.
Modus faciendi Profeſſionem tam à Fratribus Choriſtis, quàm Converſis. pag. 17. n. 1.
Monaſteria in tres Ordines diſtinguenda. pag. 1. n. 2. In Monaſteriis non ſint pauciores 12. Nec plures, quàm quot ali poſſunt. ibidem. num. 3.
Monaſteria Novitiorum ſint ſegregata. pag. 2. n. 1.
Monaſteria pro ſtudiis in qualibet Provin. ſint duo. pag. 23. n. 1. in iiſdem collocentur Patres virtute præſtantiores. ibidem. n. 3.
Monita Generalia pro obſervatione Conſtitutionum. pag. 173. n. 1.
Morti proximus. pag. 137. n. 2. In mortis articulo quomodo abſolvendus. pag. 124. n. 7.
Mortuus induatur habitu. pag. 139. n. 3. Morientes morte ſubitanea. ibidem.

Mor-

Mortificationes quando assumendæ. pag. 64. n. 1.
Mulieres intra Claustra non admittantur. pag. 40. n. 6.
Mulieribus non se exponant curandos. pag. 40. n. 7. Cum mulieribus sit sermo brevis. ibidem. n. 8.
Munditiem in Bibliotheca observent. pag. 144. n. 4.
Murmuratio vitanda. pag. 42. n. 6.

N

Necessaria pro infirmis provideantur. pag. 135. n. 7.
Negotia Ordinis quomodo trutinanda. pag. 90. n. 8.
Negotiis externorum non se immiscent. pag. 51. n. 6.
Novitiatus deputentur in majoribus Monasteriis. pag. 2. n. 2.
Novitii in fine anni exerceantur in humilibus ministeriis. pag. 3. n. 7. Cum Novitiis nemo conversetur. pag. 15. Cap. 6. n. 4.
Novitii qualiter educandi. pag. 14. n. 1. Quem fructum ex Confessione referant considerandi. ibidem. n. 2.
Novitiorum vestes in tuto loco serventur. pag. 8. n. 11.
Novitii examinandi antequam admittantur. pag. 7. n. 5.
Novitii Choristæ ter in anno proponantur Capit. pag. 15. n. 2. A majori parte Capit. approbati domi maneant, reprobati autem statim ejiciantur. ibidem. n. 3. Si vota tertia vice sint æqualia mox expellantur. n. 4. Ob ægritudinem non statim rejiciendi. pag. 16. n. 6. Cum Novitio dimittendo prudenter agatur. ibidem. n. 9.
Novitius culpas scandalosas committens statim ejiciatur. pagina 16. n. 5. Semel expulsus nunquam recipiatur. pag. 8. n. 12.

O

Obedire tenentur Romano Pontifici. pag. 38. n. 1. In obediendo faciles se exhibeant. ibidem. n. 2.
Obitus defuncti quanto citiùs intimetur Conventibus Provin. pag. 139. num. 3.
Obligationes Conventûs Superior insinuet. pag. 96. n. 5.
Obligationes sub peccato mortali. pag. 60. n. 2. & seq.
Observanda circa pœnas injungendas. pag. 163. n. 1.
Pro Observantia Regulari possunt addi ordinationes novæ. pag. 173. num. 1.
Officium Divinum juxta ritum Ecclesiæ Romanæ persolvendum. pagina 30.

na 30. n. 1. Tempus illud persolvendi. ibidem. num. 2.
Officium B. V. Mariæ quotidie recitandum. pag. 32. n. 4.
Officiales instituendi. pag. 90. n. 9.
Officialium tabula legenda. pag. 93. n. 9.
Officiales singulis mensibus rationem reddant. pag. 45. n. 12.
Officiorum confusio penitùs interdicitur. pag. 44. n. 11.
Officium Generalis in tribus consistit. pag. 101. n. 1. & seq.
Officium Vicarii Gen. duplex. pag. 104. n. 2. & 4.
Officium Provincialis. pag. 107. n. 2.
Officium Definitorum. pag. 109. n. 2.
Officium Secretarii Gen. vel Provin. pag. 111. n. 1.
Officium Priorum. pag. 113. n. 1. & 2.
Officium Discretorum. pag. 116. n. 1.
Officium Supprioris. pag. 118. n. 2.
Officium Prædicatorum. pag. 119. n. 1. & seq.
Officium Sacristæ. pag. 125. n. 1.
Officium Collegæ minoris. pag. 129. n. 2.
Officium Procuratoris Conventûs. pag. 132. n. 1.
Officium Infirmarii. pag. 135. n. 4.
Officium Præfecti hospitum. pag. 140. n. 2.
Oleum Infirmorum decenter asservandum. pag. 127. n. 5.
Orationi mentali omnes incumbant. pag. 26. Cap. 13. n. 2.
Otiosi duriùs redarguantur. pag. 59. n. 2.

P

Pallis nigris in civitatibus utantur. pag. 57. n. 3.
Patres, & Diaconi in Missis utantur quadratibus. pag. 35. n. 2.
Pecuniam nemo penes se vel alium retineat. pag. 41. n. 3. Statim consignetur Superiori. ibidem. n. 4.
Pelliceas habere licet. pag. 57. n. 2.
Percussores quomodo puniendi. pag. 164. n. 1. & 2.
Pœna excommunicationis. pag. 168. n. 1. & seq.
Pœna ejectionis. pag. 172. §. VII.
Pœna inobedientiæ quinam puniendi. pag. 39. n. 4.
Pœna proprietariorum. pag. 167. n. 1. & seq.
Pœna ebrietatis. pag. 54. n. 9.
Pœna exeuntis sine licentia. pag. 55. n. 3.
Pœna revelantium secreta Ordinis. pag. 59. n. 3.
Portæ superfluæ non permittantur. pag. 145. n. 4.

Potum inter Clauſtra vendere non licet. pag. 59. n. 6.
Presbyteri 4. Miſſas per hebdomadam abſolvant. pag. 35. n. 1.
Præcedentia Patrum Ordinis, & PP. Provinc. pag. 101. n. 5. Item Secretarii Generalis, vel Provin. pag. 112. n. 2.
Prædicatores quales eſſe debent, pag. 119. n. 1. & 2. Quidnam ſcire tenentur. ibidem. n. 3. Indulgentias, & miracula incerta non publicent. pag. 120. n. 4.
Prædicationi omnes interſint. pag. 35. n. 3.
Præfectus hoſpitum ſit bonis moribus præditus. pag. 140. n. 1.
Præfectus Capituli aſſignetur. pag. 67. n. 10.
Priores pro Monaſt. ſtudiorum idonei eligendi. pag. 23. n. 2.
Priores reſignent officia ſua in Definitorio. pag. 89. n. 4. Rationem reddant. n. 5. Privilegia Religionis plenè ſciant. pag. 113. n. 1.
Prior Monaſterii Novitiatûs eligatur ante alios. pag. 2. n, 3.
Privati voce activâ, & paſſivâ. pag. 68. n. 4.
Privatus voce, & loco. pag. 170. n. 1. & ſeq.
Proceſſus quomodo formandus. pag. 155. n. 1. Quænam excludi debent à proceſſu noſtro. pag. 157. n. 8.
Proceſſiones fiant diebus ſolitis. pag. 37. n. 4.
Procurantes extra Ordinem dignitates excommunicantur. pag. 69. n. 9.
Procurator Generalis obligatur comparere ad Capit. Gen. pag. 110. num. 3.
Procurator Conventûs. pag. 132. n. 1.
Procuratores Vocalium abſentium vocem in Capit. habent. pag. 66. num. 5.
Profeſſionis forma. pag. 21. n. 1.
Profeſſio quando nulla. pag. 6. n. 3. Tacita non admittitur. pag. 16. num. 7.
Profeſſi non habent vocem in Capit. niſi ſuſcepto Sacerdotio. pag. 6. n. 4. Non admittantur ad Sacros Ordines niſi elapſo triennio. pagina 22. n. 4. Non ferant ſuffragia in Capit. niſi &c. ibidem. n. 5.
Profeſſionum liber in arca communi aſſervetur. pag. 21. n. 2.
Profeſſores Theologiæ 2. Philoſophiæ unus, vel plures deputentur. pag. 24. n. 1. Sequantur doctrinam S. Thomæ. ibidem. n. 2. Sacram Scripturam breviter interpretentur. n. 3. Dubia breviter ſolvant. n. 4.
Proprium nullus poſſideat. pag. 41. n. 5.
Proprietatis vitium quando committitur. pag. 42. n. 7.
Proſtrationes in Choro quando fiunt. pag. 34. n. 17.
Provincialis electi confirmatio. pag. 71. n. 2.
Provincialis det rationem ſuæ adminiſtrationis. pag. 79. n. 4. Tenetur

tur ſingulis annis viſitare Provinciam. pag. 148. n. 1.
Provinciales, vel alii voce gaudentes, ſi ex contumacia ad Capit. non veniant, nec pro ſe procuratores mittant excommunicantur. pag. 83. num. 2.
Provincialis poteſt alicui negare profeſſionem. pag. 17. n. 10.
Proviſores Capituli tempeſtivè deputentur. pag. 67. n. 10.
Pueri intra clauſtra non pernoctent. pag. 41. n. 9.

R

RAſura Fratrum quolibet menſe fiat. pag. 58. n. 7.
Recipiendi ad habitum examinentur. pag. 7. n. 5. Eorum ætas attendenda. ibidem. n. 8.
Recreatio quando concedenda. pag. 59. n. 2.
Redeuntes benedictionem petant. pag. 55. n. 4.
Reelectiones Officialium. pag. 71. n. 3.
Reficiantur omnes in communi Refectorio. pag. 53. n. 1.
Regula feria ſexta legenda. pag. 53. n. 3.
Religioſi non ſe intromittant in officium medici &c. pag. 135. n. 5.
Rem ſibi conceſſam ut propriam nemo poſſideat. pag. 41. n. 5.
Rem unius domûs alio transferre nemo audeat. pag. 44. n. 7.
Reſignatio officii Generalatûs, vel Provin. pag. 78. n. 1.
Reſignationes offic. Priorum. pag. 89. n. 4.
Reſidentia P. Gen. pag. 101. n. 4.
Res demortui Fratris cui cedant. pag. 139. n. 5.
Reſolutio caſuum habeatur. pag. 25. n. 8.
Renovatio votorum quando habenda. pag. 46. n. 1.
Reo detur copia proceſſus. pag. 156. n. 5.
Romam venientes auſu temerario. pag. 111. n. 4.
Rubricas Miſſalis, ac Breviarii Rom. ſæpius legant. pag. 32. n. 7.

S

SAcramenta & officia Parochorum contra voluntatem illorum nemo adminiſtret. pag. 37. n. 2.
Sacram Scripturam Prædicatores ſcire debent. pag. 119. n. 3.
Sacriſta ſit fidelis. pag. 125. n. 1. Luminis curam habeat. pag. 127. n. 4.
Scriba Capituli deſignandus. pag. 83. n. 4.

Scrutatores pro Capitulo Gen. pag. 83. n. 3.
Secretum Capituli. pag. 91. n. 4.
Senior in paritate votorum præferendus. pag. 87. n. 2.
Sigillum Ordinis quale. pag. 146. n. 1.
Sigilli majoris, vel minoris usus. pag. 147. n. 2.
Sigillum unusquisque Conventûs habeat. ibidem. n. 3. Sigillum, constituentibus Definitorium conceditur. pag. 147. n. 5.
Silentium ubi, & quando servandum. pag. 58. n. 1.
Socius non concedendus nisi 25. annum agat. pag. 56. n. 7.
Socius P. Gen. sit Presbyter. pag. 129. n. 1.
Studentes ingenio, ac virtute præditi eligantur. pag. 23. n. 4.
Studentes singulis annis examinentur. pag. 25. n. 7.
Studia quot annorum spatio perficienda. pag. 24. n. 6.
Superior si in lapsum carnis inciderit quid agendum. pag. 39. n. 3.
Superior pœnam proprietatis quando incurrit. pag. 42. n. 8.
Per Superioris negligentiam si Frater sine Sacramentis moriatur. pagina 134. n. 2.
Superiores omnes redditus suos adnotari curent. pag. 44. n. 10.
Superior cum humilitate officium suum peragat. pag. 97. n. 1. Fratrum conditiones consideret. pag. 98. n. 2. ut filios corripiat. pagina 157. n. 2.
Superior curam infirmorum habeat. pag. 134. n. 3. Sæpe visitet infirmos. pag. 135. n. 5. Si in hoc negligens fuerit. pag. 136. n. 9.
Supprior sit laudabilis vitæ. pag. 118. n. 1. Omnibus horis intersit. ibidem. n. 2.
Suppellectili humili, & unicâ cellâ contententur. pag. 55. n. 6.
Superiores tenentur obviare delictis. pag. 157. n. 1.
Superior negligens in servanda clausura. pag. 145. n. 5.
Superbi quomodo tractandi. pag. 158. n. 3.
Suspectus de mala familiaritate. pag. 40. n. 5.

T

TAbula Officialium legatur in fine Capit. pag. 93. n. 9. Item die Sabbati ad prandium pag. 54. n. 3. Appendatur in loco conspicuo. pag. 173. n. 5.
Tarde venientes ad mensam genua flectant. pag. 54. n. 5.
Tempus persolvendi Divinum Officium. pag. 30. n. 2.
Testes qui non admittendi. pag. 157. n. 7.

Va-

V

VAgi, & ignoti Fratres apprehendantur. pag. 50. n. 1.
Valetudinarii reficiantur in infirmaria communi. pag. 53. n. 1.
Valetudinarium in singulis Conventibus habeatur. pag. 134. n. 1.
Vesperæ diebus Festivis cantandæ. pag. 32. n. 5.
Vestium & indumentorum qualitas. pag. 56. n. 1.
Vicarii Gen. vel Provin. præeminentia. pag. 104. n. 1. Item pag. 106. num. 6.
Vicarius Gen. mortuo Generali, nullas oppignorationes facere potest. pag. 106. n. 5.
Vinum conditum prohibetur. pag. 56. n. 10.
Visitator cæremonias, & S. institutiones observari curet. pag. 148. num. 2, primum locum teneat cum Socio. pag. 149. n. 4. In Visitatione de quibus interrogandi. pag. 150. n. 8. Visitet SS. Sacramentum. pag. 152. num. 9. Negligentiam Prioris corrigat. pagina 153. n. 14. In pace Conventum relinquat. pag. 154. n. 21.
Visitatores revideant libros Chori. pag. 35. n. 3. Habeant provisionem à suis Conventibus. pag. 154. n. 22.
Vitia detestanda. pag. 29. n. 7.
Vitium proprietatis. pag. 42. n. 7.
Vocales Deum præ oculis habeant. pag. 83. n. 2.
Vocem in Capit. Gen. habentes. pag. 68. n. 1. Item in Capit. Provin. pag. 69. n. 1.
Vota in electione Gen. Si sint paria quid agendum. pag. 85. n. 10.
Votum Castitatis. pag. 39. n. 1.
Votum obedientiæ. pag. 38. n. 1.
Votum paupertatis. pag. 41. n. 1.

FINIS.

1800
0877464